

* I * H * V * S *



~~G. # 13.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-23.

SIGNAT. clvcccxiii.

Einzelner versetzt 1941.

Stückzahl erled.



42
77
DISPUTATIO THEOLOGICA,

De

5 PRÆDESTINA-
TIONE ÆTERNA,

Quam

D. O. M. A.

Sub Præsidio

BALTHASARIS MEISNERI,

SS. Theologiæ Doct. & in Almâ Wittebergen-
si Academia Professoris, Fautoris & Præ-
ceptoris sui honorandi,

Publici Exercitij gratiâ proponit

ERNESTUS STISSER,

Magdeburgensium Ecclesiarum ad S. Nicola-
um & Gangolphum Canonicus.

In auditorio Majore d. 24. Aprilis.



WITTEBERGÆ,

Excudebat Johannes Gorman, Anno 1618.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

PRÆDESTINATIONE

ÆTERNÆ

Quam

Dr. P. DE O. M. A. V. T. O. R. I.

BALTHEASARIS MEISSNERI

Magistri et Professoris Collegii in Alma Matrice Wittenbergensi

in Auditorio Majori die 24. Aprilis

ERNESTUS STISSER


Magister et Professor Collegii in Alma Matrice Wittenbergensi
in Auditorio Majori die 24. Aprilis



WITTEBERGÆ

Excudebat Johannes Gornau Anno 1615





A D M O D U M


REVERENDIS, GENERIS PRO-
SAPIA ET VIRTUTE IL-
LUSTRIBUS

VIRIS,

Dn. DECANO, SENIORI,

Reliquisque Metropolitanæ
per Germaniam Primariæ Ecclesiæ Mag-
deburgensis Capitularibus, Domi-
nis Patronis, omni subjecti-
onis & observantiæ ge-
nere colendis,

*Gratiam & Pacem, per Dominum
nostrum JESUM CHRISTUM.*


Quantò æterna cadu-
cis, immortalia terrenis, divi-
na humanis præstât; tantò The-
ologiã reliquis omnibus disci-
plinis merito suo anteferri optimo jure di-
xeris. Ita rectissimè ille rē æstimavit, qui in
aliis fecem, in sola Theologia florem o-
mnium scientiarum contineri scripsit.

Et sanè, sive objectum ejus, quod est
summus ille, qui superiorem agnoscit nul-
lum, DEUS ter Opt. Max. sive finē aspicias,
qui gloriã DEI & salute nostrâ absolvitur,
nihil omninò in rebus mortaliũ est, quod
cum illa comparari possit. Si enim absq;
cognitione supremi nostrũ parentis ni-
hil omninò est, quod in hac vita scitur: I-
gitur sine hac disciplina omnis hominum
vita, vana, ludicra, nihil erit. Si totum,
quod hîc degimus, ævum, soli omnipoten-
tis DEI gloriæ sacrum est, & esse debet: Aut
nullibi

424
nullibi, aut in sola hac Cynosura miseræ
nostræ navigationis habemus. Si deniq;
in salute æterna summum omnium bono-
rum bonum situm est: frustra iterum sint,
sine hac omnes reliquæ disciplinæ.

Satis hoc unicuique, & mihi præsertim
caussæ esse poterat, ut excusso pulvere
scholastico nobilissimæ omnium scientia-
rum matri mea studia, & quod reliquum
est vitæ, consecrarem. Sed impulerunt
tamen & alia, cum primis, quòd Patrem
meum, quo ille est erga verè orthodoxam
Augustanâ Confessionem amore, hoc con-
siliū probare vel maximè viderem. Ivi
igitur cum bono DEO ad Theologiam: atq;
ita ivi, ut omnes cogitationes omniaque
studia mea hætenus eò contulerim.

Quantum ibi profecerim, vel etiam hac
ætate proficere potuerim, aliorum esto ju-
diciū. Ut ut illud sit exiguum, quod per-
exiguum esse lubens agnosco; volui ta-
men mihi ipsi calcar addere, & quousque

) (3

pro-



progressus fuerim experiundo discere.
Conscripsi itaque, & brevibus delineavi
difficillimum illud de *Prædestinatione* caput,
cujus quanta sit sublimitas, propter ipsa-
rum rerum, quæ in illo continentur, emi-
nentiam, quanta difficultas, propter er-
rantium multitudinem, is nosse potest, qui
vix primis labris hoc studium attigit.

Quod ut vobis debita cum submissio-
ne offerrem, non una mihi causa fuit. Ut
enim publica taceam, quibus potiori jure
me mea que consecrarem, quam quos acer-
rimos orthodoxæ religionis vindices & æ-
tas nostra loquitur, & semper posteris præ-
dicabunt? Illud autem mihi hîc singulare
planè est, quod parens meus viginti jam an-
nos, & quod ultra excurrit, omnia summæ
benevolentia officia à vobis expertus est,
& experitur adhuc quotidie.

Nefas itaque sit publicè id taceri: cum
ille me & omnes suos ad subjectissimam
erga vos gratitudinem & devotionem
velut

425
velut ad aram, solenni voto obstrinxerit.
Vivat igitur, & vivet illa memoria in nobis
perpetuum; cujus exile monumentum hinc
extare non ægrè feretis, eoq; magis, quod
nunc, DEO ita volente, membris Collegia-
tarum Ecclesiarum in Metropolitana ve-
stra annumerer. Atq; ita non vobis tan-
tùm me subjectissimum, sed & hoc meum
munus esse intelligo, ut spartam illam,
quam divinis studiis pia antiquitas dedi-
catam maximè voluit, sacram paginam in-
defesso studio evolvendo & veritate me-
ruendo pro virili exornem.

Disputationem itaque hanc, pro mo-
dulo ingenij & ætatis, à me conscriptam
& publicæ disquisitioni in illustri Schola
Vitebergensi subjectam, ut favente
animo & fronte serenâ accipiatis, me
in clientelam suscipiatis, & affectu be-
nevolo complectamini, eâ, quâ par-
est animi subjectione & humilitate
rogo;

rogo; preces & studia & quicquid potero
vobis offerro, mancipio.

Quod restat, DEUM Optimum Max. in-
defelsis invoco gemitibus, ut vos omnes
ac singulos sub clementissimis divinæ pro-
tectionis alis defendat, protegat, servet,
quo etiam posthac vestra curâ & solerti vi-
gilantiâ in inclyta vestra Metropolitana
diæcesi Scholæ, Ecclesiæ, Respub. stent, vi-
geant, floreant, perpetuò virescant. Dabat
V Vitebergæ XV. Aprilis, Anno M. DC.
XVIII.

Qui R. V. E & D.

Humilimâ animi subjectione
colit & observat,

*Ernestus Stiffer, Magdebur-
gensium Eccles. ad S. Ni-
colaum & Gangolpbum
Canonicus.*



IN NOMINE SACRO SAN- CTÆ TRINITATIS.

I.

Non est de divina prædestinatione huma-
nis judiciis sentiendum. Neque enim no-
bis ea natura est, ut se in cœlestem cognitio-
nem suis viribus efferat. A DEO discendum,
quod de DEO DEIq; voluntate intelligen-
dum sit, DEUS enim non nisi DEO au-
tore cognoscitur. Quoniam igitur impossi-
bile erat, sine DEO discere DEUM, per verbum suum docet
homines scire DEUM.

*In articulo
fidei non na-
tura, sed scri-
ptura consu-
lenda.*

II. Pium ac laude dignum hoc pronunciatum est *Hilarij Hilarius l. 5.
l. 5, de Trin.* Extra verbi enim lucem ac semitam quicquid cogi-
tatur, fingitur aut profertur, mera caligo & error est. Et qui
à scriptura abit, is facile in errorem abire potest; illa enim est
lucerna, quæ nobis in mysteriis & articulis fidei præluere
debet: cui lucernæ apparenti in loco obscuro 2. *Petr. i. v. 19.* ut
omnes ex æquo attenderent, nec vel occulta DEI consilia ex-
tra scripturas scrutarentur, vel humanæ rationi nimium indul-
gerent optandum esset maximè; tunc minus errorum in Ec-
clesia futurum certum est, & in veritatis viam facilior reditus
existeret.

III. Quæ cum vera sint, quod quæ DEUS occulta esse
voluerit, non sint scrutanda, & quæ sui revelatione manifesta
fecit, non sint negligenda, illud maximè in gravissimo illo *Ar-
ticulo de Prædestinatione* observandum venit. In illa enim do-
ctrina, si quis non acquiescit in ijs, quæ à Spiritu Sancto reve-
lata

*Doctrina de
Prædestina-
tione unde
haurienda.*

A



lata in divinis oraculis extant, facile à vera via declinari potest, & vel in perversæ incredulitatis abyssum profundissimâ fit præcipitium, vel in desperationis barathrum.

IV. Cum ergò in hoc capite doctrinæ de Prædestinatione summa nostræ fidei recumbat, ita, ut si in eo erretur, actum sit de salute nostra, exercitij gratia thesibus quibusdam includere & breviloquio declinare apud animum statutum est. Quod dum facturi sumus, Filio Dei humili cordis peccatu supplicamus, ut Spiritus S. gratiam ad hoc institutum feliciter perficiendum clementer largiri dignetur, ut cedat hoc ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ incrementum & nostram salutem.

Futura tractationis rationis.

V. Precibus his præmissis, antequam rem ipsam aggrediamur futuræ tractationis methodum paucis delineare placet. Eam autem sic instituturi sumus, ut totam doctrinam de Prædestinatione quatuor includamus capitibus.

In primo & de significatione Vocabulorum seu explicatione & homonymia acturi sumus, cum annexa quæst. illa, an inter Electionem & Prædestinationem sit discrimen aliquod? Secundum, præmissa ζητήσις, an de Prædestinatione sit disputandum? definitionem ejusque brevem ἐξήγησιν nobis exhibebit. Tertio causas Electionis includemus, ubi 1. de causa principali: Voluntate Dei ejus distinctionibus, 2. de causa meritoria; universali merito Christi, 3. de causa offerente sive de universali vocatione, Et 4. de causa instrumentali sive Fide. 5. de materia & objecto prædestinationis. 6. de Forma. 7. de Fine. Quartum caput quædam attributa prædestinationis explicabit, nempe Immutabilitatem, certitudinem Electionis & perseverantiam Electorum. Hæc futuræ nostræ tractationis methodus erit, quam in posterum observaturi. Nunc igitur ad rem ipsam: Sit Ergo.

CAPUT I.

De Vocabulis,

MEMBRUM I.

De terminorum explicatione.

V I. Ignor-

VI. Ignorata vocabulorum significatione contingit, ut obrepant discentibus errores, non minus eleganter, quam verè Plato olim pronunciavit, Nisi n. prius probè vocabulorum & terminorum significatione teneatur, in re ipsa tanquam in ignota sylva versamur. Quare & nos priusquam ad rem ipsam descendimus, explicatione terminorum premittimus.

Vocum explicatio clarum rerum lumen.

VII. Primò autem in hac materia apud Hebræos duo reperiuntur vocabula, quibus Actio eligendi sive prædestinandi (Hæc n. Synonyma nobis sunt, ut postea demonstrabitur) exprimitur 1. לָקַח quorum verborum quidem tria recensentur significata, propriissimum autem est, quando significant probavit, elegit, delegit, separavit. Et usurpantur tum de rebus tum Personis. De rebus 2. Sam. 24. v. 12, Esa. 7. v. 11. De Personis, Deut. 2. v. 1. Ezech. 20. v. 5. Notandum quod omnibus hisce locis vox לָקַח extet, cum altera לָקַח in activa significatione non legatur, sed idem notat ac separare, quando sive res ab alia re, sive persona ab alia persona discernitur Num. 16. v. 9.

Etymologia vocum Hebræarum.

IX. Græca lingua duo præcipuè etiam habet vocabula 1. προορίζειν quod significat præfinire, prius constituere, determinare, à προς & ορίζω , termino, finio, ab ὄρος , terminus. Notat ergo hoc verbum & finem ipsum & media ad finem. Unde προορίζειν est ad certum finem destinare atque ordinare. Utitur hac voce scriptura Act. 4. v. 29. $\text{Ποῆσαι ὅσα ἡ χεὶρ σου καὶ ἡ βουλή σου ἐπέταξε γράψαι, Fecerunt ea, quæ manus Dei & consilium prius definierat facienda. Sic Rom. 8. v. 30. ὅσα δὲ ἐπέταξε, ταῦτα καὶ ἐκάλει, quos præfinivit, hos & vocavit.$

Vsu Græcarum vocum.

Alterum est ἐκλέγειν eligere, deligere, quod tum de rebus, tum de Personis in scriptura usurpatur. Rebus quando tribuitur, significat rem aliquam à cæteris segregare, & ad meliorem usum destinare, ita civitas, in qua domus Domini dicitur $\text{Locus ὃν ἐξελέξατο}$, quem elegerit Dominus, Deut. 12. v. 15. Eò modo usurpatur hoc verbū Gen. 13. v. 11. Esa 58. v. 6. Sic Dominus dicitur primis hominibus dedisse optionem ut eligant, vel vitam vel mortem, Eccl. 15. v. 14. De Personis quando enunciatur tribus modis sumitur. 1. Generaliter, & significat aliquem ad officium Ecclesiasticum sive Politicum ordinare & destinare, ut Exod. 18. vers. 25, elegit Moses viros strenuos ex omni Israel,



& constituit eos super Israel. 1. *SAM.* 10. v. 24. de Saule dicitur, quod DEUS ipsum elegerit, id est, ad munus regium obeundum destinaverit. Sic *LUC.* 6. v. 13. Christus duodecim elegit discipulos, item *Iohan.* 6. v. 70. Nonne vos duodecim elegi, & unus est Diabolus. 2. *Specialiter* cœtum vocatorum in Ecclesia notat, cui DEUS præ cæteris se in verbo suo manifestavit. Sic elegit DEUS gentem Israeliticam, ut illa esset suus populus, cui statuta & jura sua retegeret, *Deut.* 4. v. 6. 7. & 6. 7. v. 6. 7. 8. Hoc modo Electio & vocatio non differunt. Sicut enim à Deo vocatus populus dicitur, cui Deus verbum suum revelare dignatus est; ita etiam electus in hac significatione nihil aliud notat, quàm populum à Deo ad verbum manifestandū vocatum. 3. *Specialissimè* usurpatur de illis hominibus, qui vera fide præditi sunt, ac in ea usque ad extremum vitæ habitum perseverant; ut *Ephes.* 1. 4. Elegit nos Deus in Christo ante facta fundamenta mundi, 2. *Thess.* v. 13. Nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis, quòd elegerit vos ab initio ad salutem. Hæc ultima significatio propriissima est, quam etiam in hac disputatione attendimus.

MEMBRUM II.

De Convenientia & Discrepantia Præscientiæ Providentiæ & Prædestinationis.

IX. Nunc videnda etiam est trium illorum terminorum tum convenientia tum discrepantia, quorum usus in hoc negotio sæpe occurrit, nempe *Præscientiæ*, *Providentiæ* & *Prædestinationis*. Horum n. discrimen si probè teneatur, ex multis intricatis quæstionibus expedire nos poterimus.

Providentiæ definitio. X. Definitur Providentiæ, quod non sit nuda rerum visio, sed efficax circa res conditas actio & cum cura quadam paterna prospectio. Versatur ergò illa tum circa res bonas, tum circa malas, sed diversimodè; circa bonas ita, ut mandet, velit, juvet ac promoveat; circa malas ita, ut eas nec velit nec mandet, sed limites præscribat & ad bonos fines dirigat.

Præde-

XI. Prædestinatio est actio sive cura Dei circa homines salvandos occupata. Ex horum vocabulorum definitione jam facile, in quò cõveniant, in quo discrepent, videre est. Cõveniunt in eo, Providentia semper præscientiam includit, in eadem Prædestinatio. Discrepant in hoc: Providentia versatur circa omnes res, quæ in mundo sunt vel fuerunt vel futura sunt; Prædestinatio v. tantum hominum salvandorum curam complectitur. Habent ergò se ut Genus & Species, Providentia ut Genus, Prædestinatio ut Species.

XII. Inter Providentiam & Præscientiam rursus datur & aliquid convenientiæ & discrepantiæ. Illud priusquam explicemus necessariò præmittenda Præscientiæ distinctio. Bifariam enim illud vocabulum in scripturis accipitur: 1. Indefinitè sive generaliter pro omnium rerum quæ sunt, & futuræ sunt notitia, Job. 28. v. 23. Ps. 139. 2. Specialiter, & sic cum gratiosa Prædestinatione sive Electione conjungitur, Rom. 8. v. 29. Quos præscivit hos & prædestinavit, quod August. sic explicat: Quos credituros in filium præscivit, hos ad salutem prædestinavit Rom. 11. v. 29. 1. Pet. 1. v. 20.

Præscientiæ
distinctio.

XIII. Vocabulo Præscientiæ jam priori modo sumto, cum Providentia in eo convenit, quod sicut illa se ad omnes res extendat, tam bonas quam malas, ita ut Providentia generalis tùm bonas tum malas res administret & gubernet, Discrepant in hoc 1. Præscientia sive omniscientia est essentielle Dei idioma, quod cum essentia Dei convertitur. Deus n. quatenus Deus, omnia scit, imò si non omnia sciret Deus non esset. Providentia a. est actus sive potius effectus voluntatis Dei, quæ ad creaturas foràs seu ad extra se exerit easdè sustentando & gubernando pro ratione sive consideratione objecti, ut supra dictum. 2. Præscientia nudam rerum notitiam notat, Providentia efficacem operationem sive dispositionem omnium, quæ sunt, quæque futura sunt.

XIV. Notandum hïc 1. vocabulum Præscientiæ non propriè de Deo enunciari, sed *αὐθρανωπαθεῖς* sive respectu nostri. Deo n. nihil præteritum, nihil futurum est, sed omnia præsentissima præsens aspiciet, utpotè qui & uno simplicissimo actu omnia intuetur ab æterno, quare rectius scire, quàm præscire

Præscientia
non propriè
de Deo dicitur.

Non causam dicitur. 2. Et illud observationem meretur, Præscientiam
seu vim agen Dei non causam rerum præscitarum esse, ut Beza *Resp. 2. ad Col-*
di infert. loq. *Mompel. p. 152.* sed nudam notitiam tantum notare, alias De-
us omnium scelerum autor & causa constitueretur, quod co-
gitatu impium & cum Scriptura e diametro pugnat. Non er-
gò præscientia Dei rerum humanarum contingentiam tollit:
Deus n. præscit res, ut eveniunt, si aliter evenissent, ut evenire
potuissent, quippè natura sua mutabiles, tunc etiam Deus ali-
ter præscivisset. Ut piè hac de re differit *Iustinus Phil. & Martyr*
Resp. ad orthodoxos: Præscientia non est causa ejus quod futurum
est; sed quod alioquin futurum erat, causa est præscientiæ:
Nam si aliter res eventuræ fuissent, aliter etiam Deus omni-
scius præscivisset.

XV. Præscientia hæc generalis in quo conveniat, in quo
discrepet, à Prædest. ex dictis facile patescit. 1. Præscientia est
essentialis Dei proprietas, Prædestinatio *effectus voluntatis Dei*. 2. Præ-
scientia extendit se *ad omnes*; Prædestinatio *ad Electos* filios Dei,
3. Præscientia nudum rerum aspectum *non causam*, ut jam di-
ctum, notat: Prædestinatio *causam salutis Electorum* includit,
ipsorum salutem procurando & ordinando ea, quæ ad ipsam
spectant. Rectè igitur *Prosp. ad cap. Gallorum c. 14.* Potest sine præ-
destinatione esse præscientia, prædestinatio a. *sine præscientia*
esse non potest.

MEMBRUM III.

De Synonymis Electionis & Electorum.

Electiois sy-
nonyma.

XVI. Terminorum explicatione præmissâ, recto pede ad
indaganda *συνώνυμα*, tum Electionis tum Electorum, descen-
ditur. Electionis synonyma hæc in scriptura extant, 1. in-
scriptio in librum vitæ *Exod. 32. v. 32. Apoc. 12. Luc. 10. v. 20.* 2. ordi-
natio ad vitam *Act. 13. v. 43.* Crediderunt quotquot erant ordi-
nati ad vitam æternam. 3. Datio Electorum vel consignatio
in manu Dei, quæ facta est Christo à Patre, *Ioh. 17. v. 16.*

Electorum
synonyma.

XVII. Electorum synonyma sunt hæc: 1. *Sam. 25. v. 29.* quo-
rum

129

rum anima ligata in fasciculo vite *Psal. 45. v. 1. filia regis, Esa. 4. v. 3. scripti in vita Jerusalem, & ibi derelicti in Sion, residui in Jerusalem. Esa. 10. v. 21. semen sanctum & reliquiae salvandorum. Esa. 49. v. 16. quorum nomen in manu Dei scriptum, Dan. 12. v. 1. scripti in libro vitae. Matth. 25. v. 34, quibus paratum est regnum ab initio. Iohan. 6. 10. 17. dati Christo à Patre. Ioh. 10. v. 27. oves Pastoris Christi. Act. 3. 43. ordinati ad vitam æternam. Rom. 8. v. 29. prædestinati, vocati $\kappa\lambda\iota\pi\epsilon\delta\omicron\upsilon\sigma\iota\upsilon$: Et ibid. hæredes regni. Rom. 11. reliquiae secundum Electionem gratiae. Eph. 5. v. 28. sponsa dilecta. 1. Ioh. 3. v. 1. filij Dei. Iac. 2. v. 5. hæredes regni. Apoc. 14. v. 4. emti ex hominibus primi.*

QUÆSTIO.

S An Electio & Prædestinatio sint synonyma. ¶

XIIX. Si in hac quæstione sacras paginas, ut fas est, consulamus, indubitato & certo ex illis patebit, nullum horum vocabulorum dari discrimen, sed æquè latè patere. Omnes enim qui prædestinati dicuntur, dicuntur etiam Electi, & vice versa, qui Electi, illi Prædestinati. Sic *Eph. 1. v. 4.* utrumque vocabulum eodem sensu ponitur, Elegit nos Deus in Christo Jesu ante jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti cum prædestinasset nos. Nullus proinde ex universa scriptura locus proferri potest, in quo damnati ad damnationem prædestinati pronuncientur, sed ubi vox illa occurrit, in meliorem partem de hominum Electione ad salutem semper accipitur.

XIX. Sed hæc Calvinianorum quidam, Ecclesiarum turbatores, extra & præter sacram scripturam inter hæc duo vocabula discrimen fingunt, dicentes, Prædestinationem & Electionem à se invicem differre, ut genus & speciem, & cum Prædestinatio ipsis sit Genus, dividunt illud in Electionem & Reprobationem, ut duas species, sic *Calv. l. 3. Inst. l. 20. §. 5.* *Sturmius l. de Præd. lib. 3 p. 41.* dicit: Sunt autem prædestinationis species due, Electio & Reprobatio. Item *Bucanus in dist. de Præd. p. 792.* & *Polanus in l. de Præd. 6.*

XX. in-

Loci Act. 4.
explicatio.

XX. Incommodè autem & nimis inconvenienter Calviniani pro astruenda sua sententia afferunt locum *Actor. 4. v. 28.* Convenerunt ad faciendum quæ manus & consilium DEI *προέβλεπε* prædestinavit fieri, cum ibi non de reprobatione ad damnationem, quod cæcus videret, sed de sapientissima Dei crucifixionis Filij ad salutares fines ordinatione differatur. Nihil ergo, nihil omninò in hoc loco habent præsidij Calviniseclæ. Quod adeò verum, ut ex adversarijs multi veritate coacti fateantur, vocabula hæc synonyma esse, & nullo modo discrepare. Sic Zanchius *l. 1. de Nat. Dei c. 2. quest. 1. pag. 614.* Scripturæ inquit, hoc nomine propriè significare solent sanctorum Electionem & ad vitam æternam deputationem. Paræus in *Comment. super Ep. ad Rom. p. 742.* vulgò in scholis Theologicis latius usurpatur prædestinatio, & quidem dupliciter: 1. pro tota *προβέβλεπε* sive proposito seu consilio Dei de hominibus salvandis vel damnandis; ut sub se complectatur electionis & reprobationis decretum, usus obtinuit hanc significationem; sed non reperio eam in scripturis, & c.

XXI. Non minus v. illorum sententia absurditate laborat, qui discrimen inter Electionem & Prædestinationem ponunt, ut dicant, Prædestinationem factam ab æterno, Electionem fieri in tempore, *Bucanus de Præd. p. 387.* Illa n. opinio dicto *Eph. 1. v. 4.* facile retunditur, quando dicitur: Elegit nos in Christo ante facta fundamenta mundi. Quomodo ergo Electio facta erit in tempore?

XXII. Denique neque illorum sententia scripturis consentanea est, qui electionem & Prædest. τῷ λόγῳ differre dicunt. Licet n. tale discrimen à ratione fingi possit, tamen cum scripturam hinc non habeamus præsentem, quæ Synonyma illa agnoscit, nos etiam in eo quiescimus, nec quicquam contra illam assertum volumus. Notandum hinc etiam diligenter, à Patribus vocabulum Prædestinationis interdum laxiore significatione usurpari, ut Prædestinatio illis nihil aliud sit, quam decretum aliquod generale, quo Deus certi aliquid tum de fidelium salute, tum de infidelium damnatione statuit. Sic *Aug. l. 15. de C. D. c. 1* Mysticè appellamus duas civitates, h. e. hominum societates, quarum una prædestinata est, æternū regnare cū Deo; altera

altera æternum iudicium subire cum Diabolo. Et Falg. lib. 1. ad Non. pag. 8. Et quanquam generalis hæc acceptio non adeò sit absurda, nec improbari possit: tamen cum hæc non sit fundata in Scripturis, & de hoc præsertim mysterio sobriè cauteque dicendum, malumus Electos prædestinatos vocare, reliquos verò reprobos cum Scriptura indigitabimus. Et tantum de Capite primo,

CAPUT II.

De definitione ejusque brevi ἐξήγησις.

XXIII. Antequam ipsius rei definitionem aggredimur, quæstionem aliquam generalem de Prædestinatione enodabimus. De illa enim nisi prius constet, omnis labor noster inanis & frustraneus erit. Quæritur ergo

An sit de Prædestinatione disputandum?

XXIV. Nostro tēpore hæc quæstione opus non foret, cum apud nos & omnes ferè adversarios affirmativa sit certa & indubitata, nisi Beza & pauci quidam alii in Colloq. Mompelg. p. 308. edit. VViteb. Anno 1605. in hunc errorem prolapsi essent, ut statuerent hæc doctrinam non publicè proponendam esse, sed de ea in Ecclesia silendum. Quanquam enim Augustini tempore Gallia quosdam aluerit viros, qui in eandem sententiam ruerent, contra eos tamen calamum sumsit August. l. de Prædest. c. 14. & illorum errorem satis superque refutavit.

XXV. Ut autem affirmativa appareat illustrior & clarior, nos sequenti argumento eam astruimus:

1. Quod in sacro codice revelatum, 2. à Prophetis, Christo & Apostolis populo propositum & inculcatum, 3. ab orthodoxis Patribus tractatum, & 4. denique usum habet multiplicem, illud in Scholis tum in Ecclesia proponi & explicari debet. Atqui dogmati de Prædestinatione hæc omnia competunt. Ergo &c.

XXVI. Major suâ luce radiat: Minoris probatio nobis incumbit, quam etiam secundum membra instituemus.

B

27. 1. My

XXVII. 1. *Myſterium Prædeſtinationis in Scriptura revelatum extare ex eo liquet, quia doctrina hæc eſt Evangelii & lætiſſimi nuncii de æterna ſalute pars, Luc. 19. v. 20. Marc. 13. v. 2. Jam autem juffu Chriſti Matth. 16. v. 15. totum & integrum Evangelium prædicandum eſt omnibus creaturis. Ergo nec hanc partem ſilentio præterire debemus.*

2. *Argumentum.*

XXIIX. 2. *A Prophetis, Chriſto & Apoſtolis propoſitum eſt hoc doctrinæ genus. A Prophetis, Eſai. 6. v. 9. Malach. 1. v. 1. A Chriſto, Matth. 11. v. 21. & 13. v. 24. Marc. 13. v. 20. 26. 27. Ioh. 10. v. 20. & 12. v. 39. Ab Apoſtolis, Act. 13. v. 48. 1. Pet. 1. v. 20. Ephes. 1. v. 4. 5. 6. 3. Ab Orthodoxis Patribus tractatum, Auguſt. l. 1. de bon. Perſev. c. 14. & de Prædeſt. Sanctorum, ubi ſimul monet, cur Patres rariùs de hac materia diſputarint. 4. Tandem uſum & finem multiplicem habet hoc dogma.*

Uſus doctrinæ de Prædeſtinatione cum publicè proponitur.

XXIX. 1. *enim facit $\omega\epsilon\gamma\varsigma$ διδασκαλίαν: Illoſtrat enim gloriam DEI, dum docet, totam noſtram ſalutem à gratia & miſericordia DEI dependere, & ita merè eſſe gratuitam. 2. $\omega\epsilon\gamma\varsigma$ ἐπινοήσεων: *Cruſtæ enim carnalis confidentiæ infringuntur per hanc doctrinam, ne in ſuperbiam vel ſecuritatem prolabamur, ac vel viribus arbitrii noſtri, vel operibus in re ſalutis quicquam tribuamus, ſed ut gloriantes in Domino gloriemur, 1. Cor. 1. v. 31. qui omnem noſtrum pietatis conatum miſericordiâ ſuâ antevertit. 3. $\omega\epsilon\gamma\varsigma$ ἐλεγχον. Ad confutandos hæreticos, qui veram hanc doctrinam ſuis deliramentis obſcurare ac labefactare annuntur. Tollit enim Epicuræorum contrarias $\iota\omega\epsilon\gamma\beta\omicron\lambda\alpha\varsigma$ & Pelagianorum, Calvinianorum & omnium fanaticorum deliria & ſomnia arguit, de quo plura videre licet apud Aug. in lib. de Prædeſt.**

XXX. *Argumenta, quæ in contrarium afferuntur, non magni ponderis videntur, ſed explicatu facilima.*

Argumentorum adverſæ partis ſolutio.

XXXI. *Primò enim objiciunt, altiorem eſſe hanc rem, quàm ut à nobis inveſtigari poſſit, ad quod probandum dicta illa Scripturæ proferunt, in quibus conſilia DEI dicuntur imperveſtigabilia, ut Eſai. 40. verſ. 13. Iob. 4. verſ. 5. Sapient. 9. verſ. 13. Roman. 11. verſ. 33. 1. Corinth. 2. verſ. 11.*

XXXII. *Reſp. Conſequentia in hoc argumento vana ac nulla eſt. Committitur enim fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpli-*

simpliciter. Licet enim quædam in hæc doctrina sint, quæ nescire nos DEUS voluit, non tamen proinde penitus de illa silendum, cum Spiritus sanctus, eam nobis revelatam dederit tantum, quantum ad salutem scire necessarium erat. Quamvis igitur specialium casuum & judiciorum divinorum rationes, quas DEUS, suæ omniscientiæ reservavit, & quorum ille rationem novit optime, reddere non valeamus, sufficit tamen quod Electionem respectu causarum cognoscamus. Omnium enim rerum rationes sciri posse Theodulus negat inquit: Pro his, quæ discis, gratus esto: Ob ea verò, quæ ignoras, ne sis ægro animo, compertum habeas, quòd omnia haud citra rationem eveniant, etiamsi ejusmodi rationes relateant.

XXXIII. 2. Objiciunt, Si hæc doctrina in scholis & templis tradatur, Electos salutem consequi, Reprobos verò damnari, in his torpor & languor studii bonorum operum; in illo perturbatio suboritur. Quapropter de hoc doctrinæ capite penitus silendum autumant, ut illa evitentur incommoda. *Argumentum secundum.*

XXXIV. Resp. Hæc omnia non per se, sed per accidens fiunt. Si enim per se hæc incommoda concomitarentur Electionis doctrinam, sequeretur, Spiritum sanctum hanc revelantem male fecisse, quod cogitatu, nedum dictu impium ac blasphemum est. Quare concluditur, non propterea, quod quidam per accidens offenduntur, hanc doctrinam silentio involvendam esse, & Electos eâ defraudandos. Aliàs de multis capitibus religionis silendum esset, ut de summo illo mysterio Trinitatis, quod irrident novi Arriani, de articulo de Persona Christi, quem misere corrumpunt Calviniani, & de aliis multis. Porro qui offenduntur aut sunt infirmi, aut contumaces: Si infirmi, tunc erudiendi sunt, veraq; Scripturæ sententia ipsis aperienda. Si sunt contumaces, nec velint neq; privatim neq; publice erudiri, deserendi sunt ipsi, & nihilominus in illa doctrina Electi sunt instituendi. *Ejus solutio triplex.*

3. Committitur Elenchus oppositorum. Opponuntur enim quæ non sunt opposita, sed subordinata, nempe Electio, studium bonorum operum, perseverantia: Hæc n. cum se habeant ut finis & media, quomodo contraria esse possunt. Invertimus ergo argumentum, & dicimus, quòd Electio potius promoveat studium bonorum

B 2 operum,



operum, quam amoveat. Qui enim ab aeterno electus, ille ad
pœnitentiã studet bonis operibus, & finaliter credit, & sic sta-
tuere potest, se esse electum. Illa ergo conclusio, quæ infer-
tur, ex Calviniano dogmate sequitur, qui absolutum fabricant
decretum. Illi enim sic impiè concludunt: Si sum electus,
quicquid egero, particeps fio aeternæ salutis. Hoc modo si do-
ctrina Electionis proponitur, languescit apud homines studium
bonorum operum.

Nos autem sic procedimus, ut etiam antea dictum: Si sum
electus, Ergo impietati & peccatis contra conscientiam valedi-
cere & nuncium remittere debeo, *Ephes. 1. v. 4.* Si illud non facio,
in numero Electorum me esse concludere non possum. In de-
creto enim Prædestinationis ad fidem respexit DEUS, ex qua
tanquam bonâ arbore fructus sive bona opera pullulant. Hæc
si accuratè & diligenter populo in templo proponantur, nullus
inde languor pœnitentiæ & bonorum operum in hominibus ori-
ri certum est, ut contrarium potius eveniat, hoc est, ut studium
bonorum operum alacrius & fortius ad ipsis urgeatur.

*Argumentum
tertium.*

XXXV. 3. Objiciunt: Patres ante Augustinum aut nihil, aut par-
cè de Prædestinatione disputarunt. Ergo neque nobis eam tra-
ctare licet.

Solutio.

Resp. Parcè disputatum est de hac doctrina à Patribus non
ea de causa, quòd judicarent hanc silentio involvendam esse, sed
quòd nullam habuerint occasionem disputandi de ea. Com-
mittitur igitur fallacia causæ ut causæ. 2. Patres de hoc my-
sterio penitus siluisse falsum est, cum contrarium loquantur Au-
gustini libri, in quibus hanc doctrinam pertractat. Et licet Pa-
tres penitus de ea tacuissent, an propterea negligenda etiam à no-
bis, nonne Christi, Prophetarum & Apostolorum exemplo fieri
debet demonstratum est? qui soli sunt regulæ & amulsi agen-
dorum.

*Quomodo do-
ctrina de Præ-
destinatione
trahenda.*

XXXVI. Disputandum autem est de hoc articulo *sobriè, reveren-
ter, prudenter*, non quòd & quantum humani ingenii curiositas de-
siderat, sed quòd & quantum Spiritus sanctus per ministerium
suppeditat.

Sebricè

XXXVII. *Sobriè* fit, quando non ex humanis rationibus, sed ex solo verbo hanc doctrinam hauriendam esse docemus, & quidem nõ ex Lege, sed Evangelio. *Reverenter* fit, quando rationem nostram in obsequium fidei ducimus, & quæ satis assequi non valemus, adoramus, memores istius Salomonis *Proverb. 25. v. 27.* Multum mellis comedere non est bonum, & investigatio rerum difficultum gravis & difficilis est. *Prudenter*, quando forma seu hypothesis sanctorum verborum proponitur.

XXXIIX. In hunc finem Orthodoxi regulas quasdam proponere *Regula Orthodoxorum* solent, quas paucis ex illis repetimus. 1. *Prædestinatio non à priori, sed à posteriori est consideranda, hoc est, non ex rationis iudicio petenda observanda.* est hæc doctrina, sed ex verbo DEI præscripto: non hic de arcana DEI voluntate disputandum, sed quid in verbo revelatum inquirendum. 2. *Prædestinatio non ex lege, sed Evangelio discenda est.* In Lege enim non de salvatione, sed damnatione agitur: In Evangelio Christus nobis tanquam Salvator & Mediator ostenditur, qui propter hunc finem homo fieri voluit, ut nobis credentibus vitam æternam daret, quod Christus ipse clarè explicat *Iohan. 6.* Hæc est voluntas Patris, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 3. *Æternum Electionis decretum diligenter cum executione decreti, quæ sit in tempore, est conferendum.* Quem enim DEUS agit in tempore, sic ab æterno agere decrevit. Cùm ergo nullus sine fide in tempore salvetur, concludimus à DEO sic ab æterno esse decretum. 4. *In DEO non sunt contradictoriæ voluntates.* Ut n. essentia una, sic & voluntas in se considerata; & sicut essentiam non mutat, sic nec voluntatem. Quare in hoc articulo de arcana DEI voluntate cogitationes non sunt suscipiendæ, quæ revelatæ repugnent.

XXXIX. Explicatâ sic quæstione *si* *Dei*, an proponenda & prædicanda sit hæc doctrina, ad definitionis explicationem tendimus, ubi primò quorundam Patrum, Scholasticorum, Pontificiorum ac Calvinianorum præmittemus, annexa Orthodoxorum quorundam cum brevi explicatione.

Definitiones Patrum.

- XL. August. in lib. de Prædest. c. 10.** Prædestinatio est gratiæ præparatio.
- Augustini.** August. in lib. de bon. Perseverantia c. 14. Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.
- Fulgentij.** Fulg. l. 2. ad Monim. Prædestinatio nihil est aliud quàm præparatio operum ejus, quæ in æterna dispositione misericorditer se facturum præscivit.
- Bernhardi.** Bernb. serm. 24, in Canticum, Prædestinatio est cœlestis generatio, quâ Electos suos DEUS dilexit & gratificavit in dilecto Filio suo ante mundi constitutionem, sic in sancto apparentes sibi, ut viderent virtutem & gloriam suam, quo ejus forent consortes hæreditatis, cujus & apparerent conformes imaginis.
- Honorij.** Honor. in argumento de Prædest. & lib. Arb. Prædestinatio est ea dispensatio, quâ DEUS ante creatum seculum quosdam in suum regnum præordinavit, de quibus nullus perire possit, & omnes salvari necesse sit: & quosdam ad pœnas, quos peccaturos & non reversuros præscivit, de quibus nullus salvari possit.

Scholasticorum.

- Thomæ.** XLI. Thom. in 1. part. quest. 24. art. 1. Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam.
- Durandi.** Durandus in 1. Dist. 41. quest. 1. Prædestinatio est directio creaturæ rationalis in finem supernaturalem.
- Scoti.** Scotus in 1. dist. 40. quest. 1. Prædestinatio est Electio creaturæ intellectualis vel rationalis ad gratiam & gloriam. Item in 3. distinct. 7. quest. 3. Prædestinatio est præordinatio alicujus ad gloriam principaliter, & ad alia in ratione ad gloriam.

Pontificiorum.

- Bellarmini.** XLII. Bellarm. l. 2. de grat. & lib. arb. c. 9. Prædestinatio est providentia DEI, qua certi homines ex massa proditionis misericorditer selecti per infallibilia media in vitam diriguntur æternam.

BEGANNE

Becanus in Theol. Schol. c. 14. quest. 2. Prædestinatio est conceptio donorum gratiæ in DEO, quibus providet hominem vel angelum producendum ad vitam æternam cum proposito & voluntate conferendi ea dona.

Calvinianorum.

^{sup} XLIII, *Calv. l. 3. c. 21. col. 5.* Prædestinationem, inquit, vocamus *Calvini.* æternum DEI decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri veller. Hoc postea sic explicat: Non autem pari conditione creantur omnes, sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædestinatum dicimus.

Sturm. in Diatribe Prædest. th. 2. Est autem Prædestinatio decretum DEI æternum & immutabile, quo constituit in aliis ad vitam æternam, ex mera gratia in Christo electis, in aliis verò ad mortem æternam justo iudicio reprobatis, glorificari, quod à solo DEI prædestinantis beneplacito profectum, & sine ulla meritorum humanorum conditione factum, tantopere firmat numerum Prædestinatorum, ut neq; minui neq; augeri, neq; alterari possit. *Sturmiij.*

Zanchij. *Zanchius in Miscell p. 223.* Prædestinatio est sapientissimum, æternum immutabileque decretum; quo DEUS apud seipsum pro sua libera voluntate ab æterno constituit: primò omnes homines tum creare, ut in peccatum laberentur, & in mortem ruerent permittente: Deinde horum alios in Christo, sua tamen gratia tum æterna vita gratis donare, alios verò hanc gratiã non dignari, sed cum Satana tum excæcare & indurare, tum æterno exitio perdere: idque ut in illis divina bonitas & misericordia: in istis verò divina potentia & iustitia declaretur, atque in omnibus DEUS glorificetur.

Becani. *Becanus in Inst. Theol. loc. 36. p. 390.* Prædestinatio est æternum, immutabile ac sapientissimum DEI propositum ordine antegrediens omnes salutis & damnationis causas, quo decrevit ex toto hominum genere alios in Christo ex mera gratia adoptare, efficaciter vocare, justificare ex fide & glorificare, alios in Adamo & semetipsis justo iudicio reprobare, præterire, & pro-

& propter peccata, in quæ spontè ruunt, justè punire; in illis misericordia, in his autem justitia, in utrisque gloria Creatoris declaratur. Vel est æternum DEI propositum, quo secundum beneplacitum voluntatis suæ ante jacta mundi fundamenta hominum alios quidem amori & saluti, alios odio & exitio sempiterno destinando seipsum glorificare constituit.

Paræi.

Paræus in disput. 13. p. 232. Electio est propositum DEI, quo homines certos ex massa perditionis misericorditer selectos per infallibilia media ad vitam æternam dirigere decrevit ad declarandam in eis suam bonitatem & misericordiam.

XLIV. In his Definitionibus quid veri falsi è insit caput subsequens expeditum dabit. Nos cum brevi explicatione Orthodoxam, veram ac legitimam Prædestinationis definitionem huic Capiti annectimus.

*Hassenrefferi
in compendio.*

Hassenrefferus sic definit: Prædestinatio est voluntas, consilium seu beneplacitum atque propositum DEI, quo ab æterno constituit ex mera sua gratia & misericordia per & propter Christum salvare credentes.

Hunnij.

Hunnijus p. 746. Prædestinatio est divinæ voluntatis propositum seu decretum ab æterno factum, quo ex mero beneplacito & gratuito favore ad vitam æternam in Filio elegit, & certò salvare constituit omnes, qui acta poenitentia in Christum Jesum verè credunt, & in hac fide ad finem usque perseverant, cæteris qui non credunt, aut fide rursus abjectâ in incredulitate moriuntur, non per absolutum aliquod decretum, sed tantum propter impoentiam illorum, & finalem infidelitatem relictis ac præteritis.

Menzeri.

Menzerus, Prædestinatio sive Electio est actio DEI, quâ ante jacta mundi fundamenta, non secundum opera, sed ex mera gratia & misericordia in Christo, juxta propositum & prænotionem ad vitam æternam ordinavit homines virtute Spiritus sancti per Evangelii prædicationem perseveranter in Christum credituros in laudem gloriosæ gratiæ.

*Explicatio
precedentis
definitionis.*

XLV. Hujus definitionis brevem ἐξήγησιν dabimus. Iactio Genus nobis considerandum venit, quod in hac definitione dicitur actio. Alii loco Generis licet ponant decretum, non tamen inter

inter hos realis differentia. Specialis enim providentia nihil aliud est, quam decretum, & actionem eligentis Dei decretum esse quis negaverit? Omnes enim voces scripturae Prædestinationi attribuit, decretum esse dicit, *Ephes. 1. v. 5. 2. Timoth. 1. v. 9. Rom. 9. v. 11.* Providentiam specialiter sumtam esse actionem, ex synonymis, quæ supra c. 1. attigimus, satis liquet. 2. Est species providentiæ. E. & actio. Nam providere est agere.

XLVI. Actionem quando dicimus, non emanantem, qualis creatio, sed immanentem intellectam volumus.

XLVII. Errant hic Calviniani, quibus Electio & decretum unum & idem notat. Verum an non sic inepta est & locutio Pauli *Eph. 1. v. 11. inquit, nos secundum propositum præ-* *Electio & e-*
destinatos esse. Discrimen ergo aliquod agnoscendum, *ius decretum*
quod in hoc potest constitui, si dicamus: Per Electionis de- *differunt.*
cretum ipsam eligendi actionem exprimi, ac notari propo-
situm aliquod electione superius: Est enim illud consilium vo-
luntatis Dei, Eph. 1. v. 9. Et hoc Zanchius veritate coactus fate-
tur lib. 5. de Nat. Dei c. 2, quando dicit, quod prædestinatio sup-
ponat electionem, electio dilectionem, dilectio præscientiam
præscientia beneplacitum vel propositum voluntatis.

XLVIII. Differentiam specificam in hac definitione constituunt sequentia verba, in quibus falsa rejicitur & vera apponitur.

Primo dicitur *Electioem factam ante jacta mundi funda-*
menta, quod scriptura clarè exprimit Eph. 1. v. 4. Elegit nos in
Christo ante mundi constitutionem, & 2. Thess. 2. v. 13. Nos
enim debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres di-
lecti à Domino, què d elegerit vos Deus ab initio 2. Tim. 1. v. 9.
Deus nos liberavit & vocavit vocatione sancta non secun-
dum opera nostra, sed secundum propositum suum & grati-
am, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora æterna.

Secundo dicitur *Electio facta non secundum opera, Eph. 1.*
v. 6. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum
Christum in ipsum secundum beneplacitum voluntatis suæ
in laudem gloriæ gratiæ suæ, qui gratificavit nos in Filio suo.

C

2. Tim. 1.

2. Tim. 1. v. 9. ibi expressè excluduntur opera, quando dicitur, non secundum opera, sed secundum propositum & gratiam. Sic Joh. 3. sic Deus dilexit mundum &c.

X L I X. *Falsà Electionis causà remotà, vera annectitur his verbis; sed ex mera Dei gratia & misericordia, Rom. 11. v. 5. id est, absque ullis hominum meritis, aut ulla dignitate, soli DEI misericordiæ Electio nostra tribuenda. Sic ergò & in hoc tempore reliquæ secundum Electionem gratiæ Dei fuerunt. Si autem ex gratia, jam non ex operibus. Et huc faciunt etiam dicta, supra annotata quæ excludunt opera, Et Aug. de Præd. cap. 15. Præclarissimum lumen prædestinationis est ipse Salvator, ipse Mediator DEI & hominum, homo CHRISTUS JESUS, qui ut hoc est, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est comparavit?*

L. Tertiò *Electio facta in Christo Ephes. 1. vers. 6. Elegit nos in Christo, & v. 11. dicimur in illo prædestinati. Ipse enim est basis & fulcrum Electionis nostræ cum omni suo merito & satisfactione unde eligi in Christo juxta phrasin Hebraicam est eligi per & propter Christum fide apprehendendum. Illud errori Pontificiorum opponitur, qui Electionem secundum operum prævisionem factam falsò pronunciant, de quo fusi- us in cap. 3.*

L I. Quarto *secundum propositum Ephes. 1. v. 5. secundum beneplacitum voluntatis suæ prædestinavit nos, & secundum propositum, 2. Tim. 1. v. 9. Hoc proposito comprehenditur ordo, quem Deus in salvandis hominibus servare voluit hodieq; servat. Quod Dei propositum nihil aliud est quàm voluntas, consilium, beneplacitum & decretum Dei ab æterno in Christo dispositum, & per Evangelium nobis revelatum de hominibus fide in Christum salvandis, ut Christus inquit, Ioh. 6. v. 40. Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.*

Hinc falsum, impium & blasphemum absolutum Calvinianorum decretum esse intelligi potest, quo Deum sine ullo respectu fidei quosdam salvare, quosdam verò damnari decre-

decevisse fingunt. Sed de hoc in sequentibus dicturi sumus.

LII. Quinto facta dicitur Electio secundum notionem Patris, i. Petr. 1. v. 2. Electi secundum praescientiam Patris, Rom. 8. v. 29. Quos praescivit, hos & praedestinavit. Quos enim Deus praescivit in Christum credituros finaliter, hos elegit. Quare vocabulum praescire, ut supra annotavimus, non late sed stricte sumitur. Neque exinde inferri potest, Electionem & Praescientiam unum & idem esse. Sic enim ταυτολογίας argueretur Spiritus S. sive Paulus, qui Rom. 8. dixit: quos praescivit hos & praedestinavit. Et Petrus 1. Petr. 1. v. 1. Electi κατὰ πρόγνωσιν.

LIII. Sexto sequitur in Definitione finis Electionis sive terminus ad quem & a quo. Terminus ad quem his exprimitur verbis Electio ad vitam aeternam, Act. 13. vers. 48. Crediderunt quorquor erant ordinati ad vitam aeternam. 2. Thess. 2. Elegit nos ad salutem, Ephes. 1. v. 4. Terminus aliàs duplex traditur ratione nostri 1. ad gloriam salutis & ad vitam aeternam, de quo paulò ante diximus; 2. ad hanc vitam relatus, ut essemus sancti & irreprehensibiles Respectu Dei finis Electionis est gloria ipsius. De quo plenius in capite 4. Terminus a quo est miseria & corruptio hominis, qui propter peccata, in quibus sepultus jacebat, reus erat aeternae damnationi.

LIV. Septimo Electio dicitur hominum peccatorum, non absolute & simpliciter, sed hominum qui in Christum credituri sint finaliter. Cujus causae & media adnectuntur, nempe Spiritus Sanctus, & ministerium Evangelij. Patet hinc subjectum Electionis solos esse homines & non angelos, ut Pontificij & Calviniani, de qua opinione in capite quarto fusius.



CAPUT III.

LXIII. Quando sic etiam brevem Definitionis explanationem in secundo cap. dedimus, rectâ methodo de causis æternæ Electionis salvandorum in hoc tercio acturi videmur.

Causa principalis Electionis.

LXIV. Ubi primò occurrit *causa principalis* sive *prima-ria & principalis*, quæ est bona & misericors Dei voluntas. Hæc licet ex scripturis tam manifesta sit, ut de illa amplius dubitare nefas sit: tamen gens Calviniana facessit nobis negotium & contra hanc atrociter pugnat: Quo successu sequentia docebunt.

LXV. Nos igitur demonstrabimus illam ex divinis oraculis & antequam fiat, quasdam distinctiones voluntatis, quæ in hoc articulo frequentissimè occurrunt, & sine quibus feliciter progredi, non quimus, præmittendas censemus.

LXVI. Ubi primò tenendum est, voluntatem *generatim* in se, prout intra simplicissimam Dei essentiam vertitur unam eandemque esse, ita ut sicut essentia ejus una & simplex, ita & voluntas, ratione tamen objecti multiplex & varia sive *specyficatim*, pro ut extra se prodit, dici potest.

Distinctio inter voluntatem signi & beneplaciti.

LXVII. Primò ergo distinguimus voluntatem in *voluntatem signi & beneplaciti*. Quæ distinctio à Scholasticis originem trahit, & usurpatur ab Orthodoxis & Calvinianis, non autem uno eodemque sensu, sed planè diversissimo.

Scholasticorum.

LXVIII. Scholasticis voluntas signi erat Verbum, in quo exprimebatur, quomodo Deus nobiscum ad extra progrediens ageret. & quid à nobis fieri vellet per voluntatem beneplaciti ipsam DEI voluntatem, sive internum consilium, quod in verbo exprimitur, intellectum volebant, Hinc quinque signa voluntatis ab ipsis recensentur: 1. Præceptum. 2. Prohibitio. 3. Permissio. 4. Consilium. 5. Impletio, quæ hoc includuntur versiculo: 1. Præcipit ac 2. prohibet, 3. permittit, 4. consulit, 5. implet.

Orthodoxorum.

LXIX. Orthodoxi per voluntatem signi intelligunt eam, quæ circa salutem hominum occupata est in verbo revelato & Evan-



& Evangelio per voluntatem beneplaciti intelligunt miranda iudicia Dei ac speciales casus, qui in mundi & Ecclesie præsertim gubernatione conspiciuntur. Hoc modo distinctio illa admitti potest.

LXX. Sed quid de hac Calviniani, an illorum etiam explicatio cum nostra & Scholasticis toleranda? Minimè. Illi enim hanc abutentes alienam planè affingunt mentem. Voluntatem enim signi definiunt quod sit illa, quæ in scripturis revelata est, quæque ostendat forinsecus Deum velle ac expetere omnium hominum salutem, intus verò sive in recessu cordis aliud decretum & immane illud sanxisse de abjiciendis quibusdam sine omni prorsus misericordia & spe veniæ. Voluntas beneplaciti ipsis est absolutum ali- quod decretum, quo Deus absque consideratione fidei & incredulitatis quosdam ad salutem, quosdam ad damnationem destinavit. Sed distinctionis explicatio blasphemiam execrandam præ se fert, quod seq. Syllogismo evinco:

Calvinianorum.

Quæcumq; divisio Deum facit hypocritam, fingitq; in Deo contrarias voluntates, illa impia & blasphema est. Atqui divisio hæc secundum Calv. explicationem est talis. E.

Major extra omnem dubitationis aleam posita est. Minor confirmatur. Quando enim quis exterius aliquid vult & id intus repudiat, an non is hypocrita meritò dicitur? Non negari potest, præsertim si ad definitionem hypocritæ recurrimus. Describitur autem *quòd sit is, qui exterius se hoc seriò velle ostendit, intus verò ab eo abhorret.* E. g. quando quis egregiam erga alterum simulet benevolentiam, & sub hoc prætextu benevolentie hostilem animum & nocendi vitæ eius occultè gerat, nonnè is hypocrita esset insignis? Negabit nemo. An non sic Calviniani de Deo sentiunt, quando eum fingunt exterius velle salutem hominum, interius non item.

LXXI. 2. In Deo fingit contrarias voluntates. Si enim Deus id quod vult voluntate signi, hoc est, revelat in verbo promissionis, non autem vult voluntatem beneplaciti, id est, seriò & ardentè, annon in Deo finguntur contrariæ volunta-



tes? Jam autem definitio hoc ostendit. Concluditur ergo hanc divisionem voluntatis, ut explicant Calviniani, sine summa & execranda blasphemia stare non posse.

*Secunda vo-
luntatis di-
stinctio.*

LXXII. Secundò distinguitur voluntas in absolutam & conditionatam. Voluntas absoluta est simplex Dei voluntas sine omni conditione, quæ semper effectum consequitur, ut Rom. 9. voluntati eius quis resistet? Esa. 46. v. 10. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Propterea hæc voluntas dicitur ενεργητικὸν θέλημα efficax. Conditionata est, quæ annexam habet conditionem, quæ si adest, impletur, si abest, non item effectum potitur. Hæc propterea dicitur voluntas sive θέλημα ἀνεργητικὸν inefficax, quia Deus multa vult, quæ tamen non fiunt ob conditionis absentiam. Sic vult ut omnes homines legi perfectam obedientiam præstent, nec tamen fit, imò in hac corrupta natura fieri non potest. Ezech. 33. v. 11. Volo ut convertatur impius: Non tamen omnis convertitur. Et in hunc modum dicta occurrunt quàm plurima.

LXXIII. Absurditas igitur Calvinianorum patet, qui ad obtinendum absolutum decretum affirmant, Deum non velle omnium salutem, aliàs voluntas impleretur. Sed falsum hoc esse ex hac distinctione manifestum redditur. Si enim Deus vellent salutem omnium, voluntate absoluta, tunc sequeretur. Jam autem non vult voluntate absoluta, sed conditionata, si nimirum credant & mediis utantur à Deo præscriptis, quæ conditio, si abest, voluntas Dei non impletur, quod tamen tantum fit propter conditionis absentiam, non inefficacitatem voluntatis per se. Infirma igitur, imò nulla consequentia à posse & velle ad ipsum fieri, nisi velle, nulli conditioni sit obnoxium.

*Tertia distin-
ctio volunta-
tis secundum
Orthodoxos*

LXXIV. Tertio voluntas distinguitur in absconditam & revelatam. Hæc ab Orthodoxis sic explicatur: Voluntas abscondita est mysterium Evangelij non quatenus omnibus revelatur, sed quatenus omnibus annunciandum erat. Quapropter Paulus vocat illud mysterium ab æternis temporibus tacitum, Rom. 16. v. 25. Particularia præterea Dei judicia & speciales casus ad hanc voluntatem referuntur, quorum ratio à nobis ignoratur. Vo-

luntas

Voluntas revelata est Evangelium per Prophetas & Apostolos manifestatum ac literis consignatum, quo omnia ad salutem necessaria exprimuntur. Nihil enim quod ad animæ nostræ salutis adeptionem spectat, non revelatum extat, quare & nulla voluntas abscondita, quoad salutem, dici potest.

LXXV. Hic iterum à nobis abeunt *Calviniani*, & nescio in quas non blasphemias sese hac distinctione dimittunt. Voluntatis enim revelatæ unum ponunt subjectum, nempe salutem. Voluntas igitur revelata ipsis est, quâ Deus exterius in verbo suo ostendat se velle omnium hominum salutem & conversionem, in recessu verò cordis sive intus sententiam diversam fovere, nempe se minimè seriò id velle, quæ voluntas ipsis abscondita dicitur.

LXXVI. Hoc sensu illa distinctio scripturæ è diametro est opposita; illa enim expressè tradit, quòd omnia, quæ salutem nostram concernant, in scripturis revelata extent, ut nullus apex in divinis oraculis, qui ad salutem nostram consequendam necessarius dici potest, omissus sit.

LXXVII. Hoc sequenti Syllogismo confirmo: *Si omnia consilia Dei ad salutem impetrandam necessaria in scripturis revelata extant, & nullum silentio obvolutum est, sequitur nullam etiam datam voluntatem absconditam in negotio salutis. Sed prius est verum. Et posterius. Consequentia est firma.* Assumptio probatur ex dicto Act. 20. v. 27. *Confessor vos hodierno die, quòd mundus ego sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quò minus annunciarim vobis omne consiliu Dei.*

LXXVIII. Neque obstat quòd in quibusdam scripturæ dictis viæ Dei dicantur impervestigabiles. In illis enim non de voluntate, quæ circa salutem occupata est, differitur, sed de mirabili gubernatione mundi & Ecclesiæ. Et nos etiam ultro fatemur, multa esse, quæ nos investigare haud valemus, multa abscondita nobis quoad salutem nostram negamus.

LXXIX. *Quarta & ultima voluntatis distinctio* in nostris Ecclesiis usitatissima, & ad multa scripturæ dicta concilianda necessaria, quæ pugnantiam habere videntur, est, quâ distinguimus inter voluntatem antecedentem & consequentem.

LXXX. Hæc divisio non hodie nata est, aut ante paucos annos à nostratibus producta, sed quoad materiam è sacris

*Secundum
Calvini. mod.*

*2100 1000
1000 1000
1000 1000*

*1000 1000
1000 1000
1000 1000*

*Quarta vo-
luntatis di-
stinctio.*

desum.

desumpta, & quo ad formam est antiquissima: Termini enim isti inveniuntur in Patrum scriptis. Chrysoft. serm. i. in Ep. ad Eph. Theophil. in Comment. in eandem Ep. Damascen. l. 2. de fide orthodoxa. Qui omnes cum orthodoxis sic se explicant, ut dicant voluntatem antecedentem esse voluntatem gratiæ sive ardentissimum Dei desiderium, quo serio & ardentem homines ad unum omnes salvos fieri cupit in Christo fide apprehendendo.

*Voluntas antecedens
quot modis
dicatur.*

LXXXI. Voluntas hæc nominatur antecedens duplici modo 1. πρὸς ἡμᾶς respectu nostri, quod fidei & promissionum applicationem, quæ in tempore subsequitur, τὸ πρότερον antecedat. 2. πρὸς τὸ θεόν, quia nulla omnino est causa, quæ hanc Dei voluntatem in negotio apud Deum antevertat: hæc enim prima & summa est ἐν τῇ τοῦ θεοῦ consiliorum Dei ad salutem nostram pertinentium, & ex hac tanquam causa summa omnes causæ reliquæ profluunt & dependent.

LXXXII. Voluntas ergo hæc universalis est, sed non absoluta, verum determinata & ad certa media alligata nimirum Verbum & Fidem.

LXXXIII. Voluntas verò consequens est voluntas Iustitiæ, quæ Deus ob misericordiæ & mediorem contemptum jam non vult salutem & conversionem omnium, sed ex justo iudicio punit igne infernali, si in isto proposito perseverant homines.

*Voluntas consequens
quot modis
dicatur.*

LXXXIV. Voluntas hæc dicitur consequens iterum duplici modo 1. respectu mediorem quatenus ea applicantur, unde & hæc voluntas mediorem à nonnullis vocari solet. 2. respectu voluntatis antecedentis, quæ eam antecedit non tempore, sed ordine.

LXXXV. Hanc distinctionem risu excipiunt Calviniani optimè videntes, quod stante hac distinctione, omnia ipsorum tela, quibus absolutum decretum astruere moliantur, in nihilum abeant & evanescant. Propterea eam absurditatis insimulant, fictam esse dicunt minimeque in Ecclesia tolerandam.

LXXXVI. Verùm ut res clarior fiat, Orthodoxi Theologi quædam exempla ex rebus naturalibus desumpta proferunt, quibus demonstrant, quod non tantum sine ulla absurditate

dirate hæc distinctio in Ecclesia usurpari possit, sed necessariò et. *Exempla*
 jam ejus sit usus. Nos tria tantùm apponemus 1. à Medico deductum *supra petitæ*
est: Is accersitus ad ægrotũ in votis id habet maximè, ut ægrotus *divinationis*
 convalescat & ad pristinas vires redeat, propterea medicamen- *è natura pe-*
 ta, quibus morbi vehementiam depelli posse judicat, præscribit: *tita.*
 si verò ægrotus medicamenta assumere respuit, tum medicus i-
 ipsum deserit, & sic quem volebat sanum antecedente voluntate,
 jam consequente non vult ob mediõrum contemptum, quorum
 beneficio sanitati restitui potuisset.

2. à *Mercatore.* Is quando mare ingressus est, omnes merces
 suas cupit salvas, voluntate anteced. ad eum, quo tendit locum
 deportare: quando verò periculum aliquod sive tempestas o-
 boritur, quæ ipsi mortem minatur, nisi merces mari committat,
 ut sic navis ab onere isto levetur, tunc conseq. voluntate mer-
 ces non servare, sed perdere cupit ob vitæ periculum, quod
 instat.

3. à *Præceptore,* qui omnes omninò, qui disciplinæ ejus dati
 sunt, erudire atque informare discupit: Si vero in illorum nu-
 mero sunt quidam, qui eum perpetua inobedientia fatigant, ra-
 ro pede scholam calcant, & sic omnia media, quibus ad erudi-
 tionem pervenire possunt, spernunt, tunc justè ipsos deserit &
 è numero suorum discipulorum excludit.

LXXXVII. Et hæc breviter de dist. voluntatis dicta sufficiant,
 quæ si probè notentur, ex multis, quæ videntur explicatu diffi-
 cilia extricare nos poterimus. Pergemus nunc ad primam &
 principalem Electionis nostræ causam, quæ est *miseriors DEI*
voluntas, quâ DEVS seriò expetit omnium hominum conversionem & sa-
lutem, nec absoluto aliquo decreto quosdam rejicit.

LXXXIIX. Hanc thesin nostram Scripturæ dictis, ratio- *Rationes*
 nibus & patrum testimonijs confirmatam dabimus. Ne autem *pro asseren-*
 in nimium theses excrescant, unum quodq; membrum tribus *da miseri-*
 rationibus absolvemus. Sit ergo prima: *corde Dei*

LXXXIX. *Quodcunq; DEVS juramento confirmat, hoc seriò vult voluntate.*
 & expetit. Atqui DEVS juramento confirmat quòd omnium hominum
 velit salutem, tam piorum quàm impiorum. E. illud seriò vult & expetit.

Major est certissima ex Epistola ad Hebræos cap. 6. vers. 16.

D

Et

Et eleganter dicit Hieron. tom. 11. Epist. 46. Idcirco curat, ut, si non credimus promittenti DEO, credamus salutem pro salute juranti. Et August. lib. 14. de civ. cap. 32. Quid est DEI veracis juratio, nisi promissi confirmatio & infidelium quædam increpatio.

Minor patet ex Propheta Ezech. cap. 33. v. 11. Vivo ego nolo mortem impij, sed ut convertatur & vivat, & cap. 18. v. 32. Nolo mortem morientis dicit Dominus DEVS. Revertimini & vivite.

XC. Et hoc primum nostrum fundamentum licet adeò firmum sit, ut sine blasphemia negari non possit, impudentes tamen Calviniani, qui ne DEO quidem juranti credere volunt, illud varijs exceptiunculis frivolis tamen eludunt.

*Exceptiones
Calviniano-
rum ad pri-
mam ratio-
nem.*

XCI. Quidam in præsentibus dictis de temporali non æterna morte agi dicitant. Sed unde hoc probant? textus si probe inspiciatur hoc non loquitur. Contra illorum enim somnia argumentum tale in medium profero.

~~Quæcunque mors opponitur vitæ æternæ & non est communis pijs & impijs illa hic intelligitur.~~ Atqui mors æterna opponitur vitæ æternæ nec communis est pijs & impijs. E. illa mors hic intelligatur. Major per se patet: Minor habetur in textu. Et ponamus intelligendam esse mortem temporalem, Calviniani tamen quod gaudeant non habent, sed nostra potius sententia confirmatur: Si enim DEI voluntati adversum ut morte temporali quis abeat, multò magis, ut quis æternâ morte pereat.

XCII. Quidam dictum hoc non universaliter de omnibus hominibus, sed tantùm Judæis intelligendum esse volunt. Verùm neque ex hoc aliquid præsidij habent Calviniani. Licet enim hoc verum sit, quòd concio ista ad Judæos habita fuerit, tamen non tantùm ad Judæos (*omnia enim quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt 1. Timoth 3.*) sed & DEUS nobis hodiè dicit per ministros verbi sui: Vivo ego &c. 2. quæro ex Calvinianis, an DEUS etiam voluerit interitum quorundam Judæorum impiorum? affirmabunt ipsi, sed tota scriptura & præsertim hoc dictum diversum dicunt.

XCIII. Quidam recurrunt ad distinctionem illam de voluntate

luntate abscondita & revelata , blasphemè dicentes, DEUM quidem voluntate revelata velle omnium hominum conversionem & vitam, sed non voluntate absconditâ. Sed horrendam hujus distinctionis explicationem, quæ DEO simulationem tribuit, superius confutatam dedimus, ut opus esse haud putemus, de novo illud hic repetere. Stat ergo frivolis elusionibus extractis, primum fundamentum firmum & fixum, quòd DEUS seriò velit salutem omnium, quia id juramento confirmat.

XGIV. Secundum fundamentum petimus ex Epist. Petri. c. 3. Secundum vers. 9. ex quo tale formamus argumentum: *Quicumq; ita patiens fundamentum est, ut nolit ullum perire, sed ut omnes ad poenitentiam revertantur, is optum, omnium hominum vult salutem. Atqui DEVS ita patiens est, ut nolit ullos perire, sed ut omnes ad poenitentiam revertantur. E. DEVS vult omnium salutem.* Majoris connexio firma est, cum per verbum, ne ullus pereat, nemo excludatur, accedit, quòd universalis particula omnis, quæ statim subsequitur, universalitatem hinc indicet. Minor est Apostoli Petri in Epist. 2. cap 3. v. 9. *Non tardat DEUS promissionem, sicut quidam existimant, sed patiens est erga nos, dum non vult ullos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.*

XCV. Hic iterum tumultuantur Calviniani, deblaterantes *Exceptiones* solos credentes sive electos per vocabulum, Erga nos, notari; *Calviniano-* cum tamen versus decimus quintus ejusdem capituli hanc glossam refuter: & ulterius evineo illud sic: *Quicumq; invitatur ad poenitentiam & quos vult recipere Deus, illi hinc intelliguntur. Atqui non-credentes sive infideles invitatur ad poenitentiam & eos DEUS vult recipere si veniant. E. non-credentes sive infideles intelliguntur. Neq; obstat, quòd Petrus se ipsum includat, cum illud fiat per *κοινοπολις* *Quæ* quæ Apostolis frequentissima fuit.*

XCVI. Tertium fundamentum sumimus ex loco Iohan. 3. Tertium v. 16. 17. ex quo sic rursus argumentamur: *Quicumq; ita diligit mundum, ut pro eo det filium suum unigenitum, eo sine, ut non judicet mundum, sed ut salvetur mundus per illum, is seriò omnium hominum expetit salutem. Atqui Deus ita dilexit mundum, ut pro eo det filium suum unigenitum eo sine, ut non judicet mundum, sed mundus salvetur per ipsum. E. DEVS seriò omnium hominum expetit salutem.*

D 2 Major



Majoris connexio patet: Nullum enim nullum, inquam, certius & evidentius ardentissimi amoris erga nos DEUS documentum dare potuisset, quàm quòd filium unigenitum pro toto mundo in mortem dederit, ut ab æterna morte illum liberaret, Quomodo ergo illum non vellet salvum? Minor extat Iohan. 3. vers. 16. 17. Sic DEVS dilexit mundum, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam. Non enim DEVS misit Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum.

Exceptiones Calvinianorum. XCVII. Excipiunt ad hoc dictum Calviniani 1. vocabulum Mundi hîc pro Electis, non pro omnibus hominibus sumi.

Sed hoc dicitur absq; præsidio scripturarum: Nullus enim in tota sacra scriptura proferri potest locus, in quo Mundus pro Electis usurpetur: pro infidelibus & incredulis quidem & pro omnibus hominibus accipitur, pro Electis nunquam. 2. Ex textu clarum est, omnes intelligi homines, quod sic evinco: Ubiunque vocabulum Mundi sumitur pro fidelibus & infidelibus, ibi non tantùm Electi, sed qui judicantur & non judicantur omnes homines intelliguntur. Atqui in præsentî dicto vocabulum sumitur pro fidelibus & infidelibus. E. non tantum Electi, sed omnes homines intelliguntur.

XCVIII. Et sic firma & infallibilia sunt scripturæ fundamenta; ad rationes progredimur.

Prima Ratio. XCIX. 1. Sumitur *ex fine creationis*. Quoscunq; DEUS eo fine condidit, & ad imaginem suam formavit, ut salvarentur, illorum etiam salutem serîo vult & expetit. Atqui DEUS eo fine condidit homines & ad suam imaginem formavit, ut salvarentur. E. illorum salutem serîo vult & expetit. Major certa: quomodo enim DEUS illos non vellet salvos, quos eo fine condidit. Minor sic confirmatur: Quicumq; conditus est ad imaginem, is eo fine conditus est, ut salvaretur: quia imago & salus se mutuò sequuntur & à se invicem separari non possunt. Atqui omnes homines in Adamo, in quo habuerunt imaginem Dei, conditi sunt ad imaginem Dei. E. eo fine conditi sunt ut salvarentur.

Secunda ratio. C. 2. à precibus, quæ omnes vanæ, inanes & blasphemæ forent, quæ pro reprobis ad Deum funduntur, si absolutè quorundam

miser-

miseri nollet DEUS: Quod posterius cum absurdum planè sit, prius ut corruat necesse est. Accedit quòd sic semper titubante fide & conscientia orandum esset; quia certò scire haud possemus, an simus inter illos, quorum Deus misereri velit.

C I. *à desperatione.* Stante enim illa sententia, quòd *Tertia ratio.* DEUS quorundam tantum misereri velit, fores desperationis longè lateq; panduntur. Quis enim quæso sub speciali illa propositione, DEUS quorundam vult misereri, subsumere potest, E. etiam mei, E. ego etiam in illo ero numero, quorum misereri vult DEUS. Consolatione sic erigi nemo potest, sed facilè quis in desperationis abyssum submergi potest. Quando verò universalis propositio ponitur, DEUS vult omnium misereri & omnium expetit conversionem & salutem: sub hac propositione quivis subsumere potest. E. etiam mei, & sic consolatio magna oritur & ad homines redundat.

C II. *à Patrum testimoniis.* Ambros. *serm. 8, in Psal. 118.* Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se defraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat. Idem *l. 2. de voc. gentium cap. 8.* Sive igitur novissima contemplemur secula, seu prima, sive media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines salvos fieri, DEUM velle, semperq; voluisse. *Testimonia Patrum.*

Prosper. l. 2. de vocat. gent. cap. 28. Fit manifestum, quod diversum & innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri, sed qui veniunt DEI auxilio diriguntur, qui non veniunt sua pertinacia reluctentur.

Bernh. serm. 1. in purific. Mariae: In communi posita est Dei misericordia: nemo illius expers est, qui renuit.

C III. Quando sic nostram sententiam de misericorde erga omnes homines voluntate, ex scriptura, rationibus & testimonijs Patrum satis munitam putamus; ad tela adversariorum Calvinianorum excutienda accessum facimus. *Objectionũ solutio.*

C IV. Non autem opus esse censeo, ut multum de adversariorum sententia hîc præmittamus, cum illa satis manifesta sit ex ipsorum objectionibus, quæ licet multæ ab ipsis proferantur,

nos tamen præcipuas tantum, quas ex cap. 9. ad Roman. petunt, in quo loco causæ suæ præsidium totum quærunt, dissolutas dabimus.

Scopus non capitjs Epi- stola ad Roman. CV. Initiò autem illud probè notandum & semper firma memoriã tenendum, quòd principaliter & primariò ibi agatur de reiectione temporali Judæorum à Gratia, à Christo & Evangelio, deq; gentilium receptione in locum eorum. Quod manifestum est ex eo, quia spes quædam recuperandæ salutis adhuc reliqua est reiectis, 2. quia cap. subsequenti pro ipsorum salute orat & sperat fore, ut convertantur & emergant ad poenitentiam per suum ministerium. Hic scopus primarius est, quem Apostolus intendit: Interim typum Electionis in hoc ipso capite proponi negare nemo potest.

Prima ob- jectio. CVI. Cautelã hac præmissa ad rem tendimus, 1. Producent vers. 11. ubi dicitur: *Cum enim nondum nati fuissent pueri, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum Electionem propositum DEI maneret: Non ex operibus sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, ut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

CVII. Hæc verba Pareus & alij Calviniani ad absolutum decretum exstruendum torquent. Pareus enim in comment. super hanc Epist. eodem cap. p. 816. dicit: *Causa igitur fuit æternum Dei propositum quo constituit, tale discrimen eorum facere. Prævisus fuit Esau naturã. Non minus etiam Iacob. Uterq; enim conceptus in peccato. Et tamen hunc dilexit Deus, illum odio habuit, non utique ob discrimen aliquod inherens aut prævisum sed κατ' ἐκλογὴν, quia unum elegit, & alterum non elegit.*

Solutio pri- mæ obiectio- nis. CVIII. Verùm respondemus Paræum & alios Calvinianos, qui sic concludunt, scopum Apostoli non attendere, qui, ut paulò antè dictum, non de Reprobatione aut Electione, sed temporali Judæorum reiectione, de fœdere & gratia Dei agit. 2. Calviniani unde hæc sit mutatus Apostolus observare deberent, tunc facilè clarum & manifestum erit, Apostolum non tam de personis, quàm posteris Esavi & Jacobi tractare.

Desumit autem Apostolus hæc partim ex Moyse cap. 25. v. 23. partim ex Malach. c. 1. v. 3. Prior locus sic habet: *duæ gemes sunt in utero tuo, & duo populi dividuntur ex ventre tuo, & populus populum superabit, & major serviet minori.* Posterior sic sonat: *Nonne frater erat Esau Iacob*

479

Jacob dicit Dominus? dilexi Jacob, Esau autem odio habui & posui montes ejus in solitudinem & hereditatem ejus in desertum draconis? Quod si dixerit Idumæa: ad paupertatem redacti sumus, sed revertentes edificabimus, quæ destructa sunt: hæc dicit Dominus exercituum: isti edificabunt & ego destruam, & vocabuntur termini impietatis & populus cui iratus est Dominus usq; in æternum. Ex his duobus scripturæ locis cum satis appareat non tam, ut antè dictum, de personis, quàm posteris agi; sequitur si secundum Calvinianorum dogma in loco Paulino tractatur de Reprobatione & Electione absoluta, omnes posteros unà cum Jacobo ad vitæ æternæ hereditatem possidendam electos esse, & omnes ex Esavo oriundos æternis cruciatibus adjudicatos esse, quod posterius cum absurdum & manifestè contra scripturam sit, prius quoq; eadem laborabit absurditate & falsitate, nempe agi in loco Apostolico de Reprobatione & Electione absoluta, & absolutum inde posse probari decretum.

3. Per vocabulum odij non absolutum odium reprobationis intelligendum est, ut Paræus facit, sed pro neglectione sive posthabitione & exclusione temporali à privilegijs externis sumendum, ut sæpissimè in scriptura asseritur, *Psal. 78. v. 67. Prov. 13. v. 24. Luc. 14. vers. 26. Johan 12.* Et hanc vocabuli odij significationem pro posthabitione hic locum habere posse, duo illa oracula scripturæ paulò ante citata ex Moyse & Malachia Prophetia satis superque ostendunt.

4. Cum suprà à nobis dictum sit, hic typicè agi de Electione & Reprobatione: ultimò videndum est, quomodo ad antitypum referenda sint verba Apostoli. Id autem rectè hoc modo fit: Sicut ad jus primogenituræ sive externum dominij privilegium & promissionem terræ Canaan consequendam, nihil carnalis propagatio, nihil opera juvabant, sed mera & gratuita Electio locum habebat: sic ad obtinendam æternam hereditatem, nihil propagatio carnalis, nihil opera profunt, sed recurrendum ad gratuitum DEI favorem, & in eo omnis spes salutis figenda & collocanda est. Ulterius typus si extruditur, à scopo Apostoli abitur, & in analogiam fidei impingitur.

Secunda
objectio.

CVII. 2. Ex hoc capite objiciunt *vers. 14.* *Quid igitur dicemus? num injustitia apud DEVM? absit.* Nam Mosis dicit, *Miserebor, cujuscunq; misereor, & commiserabor, quemcunq; commiserabor.* Itaque non est currentis, neque volentis, sed miserentis. Super hæc verba Paræus *dub. 6. in hoc cap. inquit: Cum Electio non sit ex operib. non ex fide, sed solo vocante DEO, rectè absoluta dicitur, non aliunde pendens, ut à causa movente DEVM in consilio Electionis, nisi à voluntaria DEI misericordia & Odouicæ.*

CIIX. Resp. Parum vel nihil omninò in his verbis præsidij habent Calviniani, si scopus Apostoli probè attenditur, utpote qui in eo totus est & omnis, ut Judæorum, qui suis operibus insolescebant, jactantiam reprimat; dicere vult, Judæos falsò sibi persuadere, quòd operibus præmium æternæ beatitudinis obtinere niterentur, cum hoc ex solius DEI miserentis gratia pendeat, & tantùm illi detur, cujus vult misereri, non quod omnium misereri nolit, (ita enim Paulus sibi ipsi contradiceret, qui *cap. 11. ad Rom. vers. 32.* expressè dicit, *quòd concluderit DEVS omnes sub incredulitatem, ut omnium misereatur, ubi nemo excluditur,*) sed quod DEUS tanquam justus judex non teneatur misereri illorum actu, qui operibus suis æternæ beatitudinis sedem consequi falsò sibi persuadent, quam falsam persuasionem Judæi in mente fixam habebant. Quæ autem Paræus de Electione absoluta hîc dicit, ea ex loco Apostoli concludi non possunt, neque ex verbis citatis sequuntur de qua re inferius plura.

Tertia obje-
ctio.

CIIX. 3. Producunt tres versus subsequentes: 17. 18. 19. dicit enim *Scriptura Pharaoni, in hoc ipsum te excitavi, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in universa terra.* E, cujus vult miseretur & quem vult indurat. Paræus super hæc verba talem instituit sermonem: *Hactenus arbitrariam DEI Electionem aliquorum vindicavit à calumnia injustitiæ. Nunc ab eadem vindicat arbitrariam Reprobationem aliquorum, ostendens DEVM pariter absolutam & liberrimam voluntate aliquos eligere, misereri, servare, contra, aliquos reprobare, indurare ac perdere absque injustitia, eò quòd sancta ejus voluntas absolutissima est justitiæ regula, &c.* Ex quibus & subsequentibus verbis apparet, Paræum circa salutem hominum, voluntatem DEI ex hoc loco facere particularem, utpotè qui non

424

non omnium, sed quorundam ex absoluta voluntate salutem
expetit.

CX. Resp. Verum id ex hoc loco nunquam deducet Pa-
raeus, neque ullus absolutæ prædestinationis architectus. Pau-
lus enim hæc verba ex *Exod. cap. 9. vers. 16. desumpsit*, in quo capite
summa Pharaonis pertinacia vivis quasi coloribus depingitur,
quomodo nimirum omnes animæ & plagæ à DEO immissæ
nauci fecerit Deoq; obsequi abnuerit, qua pertinacia DEUS
tandem fuit motus, ut ostenderet potentiam suam insuperabi-
lem, contra quam hætenus tantopere sæviit. Verba igitur
illa, *in hoc te excitavi*, non ad scelera referenda sunt, quasi Deus
ipsum ad hæc perpetranda impulerit. Absint enim hæc à
DEO longissimè, *utpote qui non est volens iniquitatem, Psal. 5. vers. 5.*
sed potius ad scelerum finem sive determinationem, hoc est, quòd
Deus contumaciam & insignem impietatem Pharaonis ita ordi-
navit & limites præscripsit, ut tandem gloria & potentia DEI
inde manifesta redderetur, propterea dicitur, ut ostenderem in
te potentiam meam, in hoc excitavi te, non ut scelera illa per-
petrarentur. Veram hanc esse interpretationem Grammatica
confirmat. In Hebræo enim est verbum tertiæ conjugationis,
stare te feci, quod non actionem aut impulsum significat, sed
permissionem & sustentationem, quod fusius si opus esset, de-
monstrare possumus. Quomodo jam ex his verbis à Paulo ci-
tatis Paræus absolutam & particularem Dei voluntatem circa
salutem concludet? nam verbis, quæ sequuntur. E. *cujus vult*
miseretur & quem vult indurat, non definitur à Paulo, quòd
Deus ex absoluto odio non omnium misereri velit, imò contra-
rium dicit ipse Roman. II. vers. 23. & tota scriptura sacra: ostendit
saltem Paulus quòd Deus quos velit induret, quam ob cau-
sam autem id fiat, hinc non dicitur, sed justitia tantum DEI ab
iniquis hominum judicijs vindicatur, qui ergò illi sint, quibus
DEUS misericordiam suam conferre velit, ex alijs scripturæ
dictis addiscendum est. Præterea induratio DEO tribuitur,
non ut peccatum vel causa peccati, hoc modo potius diabolo &
voluntati hominum ascribenda est, sed ut pœna peccati: quia
DEUS subtrahit suam gratiam, ut cor per se durum & obstina-
tum

tum non ampliùs emolliri velit, permittit Diabolo, ut is tanquam
justitiæ divinæ executor hominem secum rapiat, & nescio in quæ
non peccata præcipitet.

Quarta ob-
jectio.

CXI. 4. & ultimò arripiunt ex hoc c. simile illud de figulo,
quia Apostolus dicit: Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me
fecisti? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud
quidem vas in honorem, aliud in ignominiam. Quòd si DEVS volens
ostendere iram suam & notam facere potentiam, sustinuit in multa potentia
vasa iræ aptata ad interitum, ut ostenderet divitijs in gloriam.

Paræus super hæc verba dicit hoc simili doceri: Ut figulus
merâ voluntate format ex eadem argilla pateram ad usus honestos, & caca-
bum ad usus indecoros; ita DEVS merâ voluntate & quidem potiore jure ex
eadem massa generis humani alios format vasa gloriæ, alios vasa ignominia:
hoc est, alios eligit, convertit, donat salutem Christo: alios non
eligit, sed relinquit in morte, abjicit & propter peccata sua da-
mnat, & p. 854. & 78. dicit DEVM quosdam homines reprobare à gra-
tia, ut essent vasa iræ coagmentata ad interitum; item DEVS vasa iræ præ-
parasse, condidisse & ordinasse ad interitum. Eodem modo qui Calvi-
ni castra sequuntur, hunc locum interpretantur, ut DEVM
omnium hominum salutem non velle concludant.

CXII. Resp. Simile præter mentem & scopum Apostoli ul-
teriùs, quàm debebat, extenditur. Non enim in illo agitur de
causis Electionis aut reprobationis, sed tantum de liberrimâ
DEI voluntate differitur, quid nimirum DEUS jure faciat
aut facere possit. Ita ergò verba explicanda sunt: Si fas est
figulo ex eadem massa fingere vel formare aliud vas in hono-
rem, aliud in ignominiam: quantò minus DEUS reprehensio-
nem incurreret, si ex mero gratuito favore quorundam, qui ob-
latam gratiam accipiunt, misertus, reliquos pertinaces indurari
permittat.

In eo ergò conyenit simile, in reliquis maximè dis-
crepat; falsissimum est & illud, quòd vasa quedam præparet
DEUS ad interitum; Indefinitè ibi loquitur Apostolus, præ-
parata

parata sunt, à quo ipse non dicit: imò à DEO præparata negat eo ipso, quia DEUM vasis iræ irasci, eaque cum magna patientia tolerare affirmat. Sed quid multis? Apostolus ipse, à quo præparata sînt, exponit Rom 5. v. 12. *ubi peccatum per unum hominem intrasse scribit*, & Sap. 2. v. 25. *invidia Diaboli mors in mundum intrasse dicitur*. Diabolus ergò & mala voluntas hominis in causa est, quòd quædam vasa, quæ DEUS vasa misericordiæ volebat, sint vasa interitus vel iræ.

Et tantùm de membro primo cap. 1.

MEMBRUM II.

De causa meritoria sive universali merito Christi.

CXIII. Demonstratâ primariâ & principali salutis nostræ causâ ad meritoriam accedimus, ubi quòd illa etiam universalis sit, probandum erit, id est, Christum mortuum esse & satisfecisse pro peccatis omnium & singulorum hominum dictis Scripturæ demonstrabimus.

CXIV. 1. *Super quemcunq. posuit DEUS iniquitatem omnium nostrum, is pro omnibus hominibus mortuus est & satisfecit.*

Atqui super Christum DEUS posuit iniquitatem omnium nostrum.

Ergò pro omnibus mortuus est & satisfecit.

Primum fundamentum pro universalis Christi satisfactione.

E Majoris

Majoris connexio est firma. Phrasis enim illa : *posuit iniquitatem super aliquem*, nihil aliud in scriptura significat quàm satisfacere, quòd typus hirci emissarii, cui omnes iniquitates à Sacerdote, Dei jussu imponebantur, *Levit. 16.* ostendit.

Minor est Prophetæ *Esaiæ cap. 53. vers. 6.* *Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*

CXV. Hic Calviniani universalitatem CHRISTI pernegantes, excipiunt per vocabula *Omnium nostrum* tantum fideles notari, qualis verè erat Prophetæ *Esaias*. Verùm falsum hoc esse verba statim præcedentia ostendent, quia dicitur : *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit* : ex quibus sic infero : Quicumque sicut oves erraverunt & in viam suam declinaverunt illi hic intelliguntur. Atqui non tantum fideles, ut *Esaias* & alij, sed etiam infideles ut oves erraverunt & in viam suam declinaverunt. E. non tantum fideles, sed & infideles hic intelliguntur. Minor vera est ex *Psal. 14. vers. 2.* & *Rom. 3. v. 11.* ex quibus expressè conspicitur hanc descriptionem esse universalem omnium hominum.

Secundum
fundamen-
tum.

CXVI. *Quicumque non tantum pro Electorum, sed etiam totius mundi peccatis est propitiatio, is pro omnibus hominibus mortuus est & satisfecit.* Atqui *Christus non tantum pro Electorum, sed etiam pro totius mundi peccatis est propitiatio.* E. etiam pro omnibus hominibus est mortuus & satisfecit.

Major sua luce radiat. Minor est ex *1. Iohan. 2. vers. 2.* *Christus est propitiatio non tantum pro nostris, sed etiam pro totius mundi peccatis*, ubi expressè non tantum pro Electis Christi satisfactionem factam esse, sed pro omnibus hominibus docetur.

CXVII. Absurda iterum Calvinianorum est exceptio, quia per vocabulum *Mundi* solos fideles & Electos intelligi dicunt.

Primò enim nunquam, ut in priori membro hujus cap. dictum, vocabulum *Mundi* in scriptura Electos significat, nedum in *Epist. Johan.* ubi vel universum genus humanum vel solos reprobos notat, quomodo sumitur hoc ipso cap. *vers. 15.* & *16. cap. 3. v. 1. cap. 4. v. 5.*

Secundò spiritus sanctus argueretur *ἑυτολογίας*. Secundum enim Calvinianorum somnia ille sensus emergeret : *Christus mor-*

mortuus est & satisfecit non tantum pro fidelium & Electorum,
sed & pro fidelium & Electorum peccatis.

CXLIX. Quicumque mortuus est & satisfecit pro his qui sua culpa damnantur & pereunt, is pro omnibus mortuus est & satisfecit. Atqui fundamentum.
Christus mortuus est & satisfecit pro his qui sua culpa damnantur & pereunt.
Ergo pro omnibus mortuus est & satisfecit.

Majoris consequentia patet ex eo, quia pro Electis mortuum esse Christum Calviniani concedunt; jam autem qui pereunt Electi non sunt.

Minor ex sequentibus confirmatur dicitur, Rom. 14. vers. 16. Noli tibi tuo illum perdere pro quo Christus est mortuus. Hebr. 10. vers. 26. Quamto putatis acerbioris supplicio dignus censebitur qui filium Dei conculcavit & sanguinem foederis per quem fuerit sanctificatus profanam duxerit & Spiritum gratiae contumelia affecerit. 2. Petr. 2. vers. 1. In nobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant.

CXLIX. Adhaec dicta exceptiunculam hanc producant, quod dicant, accipienda haec esse κατὰ δόξαν, quod scilicet Christus opinione aliorum pro omnibus mortuus. Sed quae haec impietas & absurditas? illa quae κατ' ἀλήθειαν in sacro affirmantur codice ad δόξαν referre. Nec nude haec ab Apostolo asseruntur, sed infallibiliter confirmantur. Et quid multis? inspiciant dictum Apostoli Hebr. 10. vers. 29. Quanto putatis deteriora supplicia mereri, qui filium DEI conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, per quem fuerat sanctificatus. Ubi clare asseritur illos etiam sanguine CHRISTI redemptos, qui eum & sanguinem eius conculcant, id est, qui se convertere abnuunt & suam impoenitentiam meritum CHRISTI pedibus quasi conculcant.

CXX. Rationibus sic confirmatur nostra sententia, 1. a fine incarnationis. Quicumque enim eo fine venit in carnem, ut pro omnibus moreretur & satisfaceret, is etiam pro omnibus mortuus est & satisfecit. Atqui CHRISTUS eo fine venit in carnem, ut pro omnibus moreretur & satisfaceret. Ergo pro omnibus mortuus est & satisfecit.

Rationes
I.

E 3 Majoris



Majoris connexio per se clara est. Minor confirmatur ex dicto *Matth. 18. v. 11. ubi dicitur, quod Christus eo fine venerit, ut quod perierat, servaret, quod nihil aliud est, quam ut morte & passione id, quod perierat, redimeret.*

Secunda ratio.

CXXI. 2. *Ab adhortationibus ad poenitentiam.* Qui euque vocantur ad poenitentiam, pro eis Christus mortuus est & satisfecit. Atqui omnes vocantur ad poenitentiam. Ergo pro omnibus mortuus est & satisfecit.

Majoris sequela illa est, qui vocantur ad poenitentiam vocantur ad fidem, quia fides est potior pars poenitentiae, qui autem ad fidem vocantur, illi ad meritum Christi apprehendendum vocantur, quia fides meritum Christi apprehendendum praesupponit, omnis siquidem qui vult credere in Christum, necesse est, ut apprehendat & applicet sibi meritum Christi.

Minor vera est ex Propheta *Ezech. 33. v. 11. Convertimini à vijs vestris pessimis, & quare moriemini: Et ex invitatione Christi Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos, jam autem nemo venire potest ad Christum nisi per poenitentiam.*

Tertia ratio.

CXXII. 3. *A periculo desperationis.* Quodcunque dogma homines ad desperationem adigit, illud abominandum & rejiciendum. Atqui dogma illud, quo docetur particularitas meriti Christi homines ad desperationem adigit. Ergo illud abominandum & rejiciendum.

Major per se vera est. Minor praeter, quando dicitur Christum non pro omnibus, sed pro quibusdam tantum mortuum esse hominibus, tunc statim quis in eam incidit cogitationem, quis scit an ego etiam sim inter illos, pro quibus Christus mortuus est & satisfecit? Quibus sane cogitationibus infirmus erigere se non potest, nisi universalitas meriti Christi asseratur.

Testimonia Patrum.

CXXIII. 4. Testimoniis Patrum id liquet. *Cyrill. l. 2. in Ioh. c. 1. Filium suum Pater in redemptionem nobis dedit, unum pro omnibus. Unus pro omnibus moritur, ut omnes in ipso vivamus. Cum enim pro omnibus occisione agni mors interierit, retinere non poterit, sed in ipso & cum ipso caeteros omnes evomet.*

Chryse-

Chrysof. super 1. Tim. 2. Christus etiam pro gentibus mortuus est, & tu pro illis non orabis? illi non crediderunt, illi non voluerunt, ipse tamen partem suam fecit cum penderet in cruce.

Ambros. serm. 8. in Psal. 118. Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum generali beneficio, ipse se defraudat, ut si quis clausis fenestris radios Solis excludat. Videamus nunc, quid contra hanc nostram sententiam de Universalitate meriti Christi objiciant Calviniani.

CXXIV. Primò autem suam opinionem per hanc distinctionem mollire volunt, quando dicunt, Christum mortuum esse pro omnibus, & satisfecisse *sufficienter*, sed non *efficienter*.

CXXV. Hæc distinctio à Scholasticis quidem excogitata & usurpata est, sed sensu longè diversissimo. Scholastici quando dicebant, Christum mortuum esse sufficienter non efficienter pro omnibus, id intellectum volebant: Christum quidem esse omnium hominum Messiam, ac omnes homines ab æterna morte & damnatione sufficientissimè liberasse: quòd autem non omnibus profit illa redemptio, culpam non residere apud Christum, sed homines, qui verà fide illud beneficium sibi applicare noluit; Sic *Lomb. 3. sent. dist. 20.* Christus se obtulit pro omnibus tanquam ad pretii sufficientiam, sed pro Electis tantum tanquam ad efficaciam, quia prædestinantis tantum salutem effecit.

Calvini autem sectatores sic exponunt: Christum sufficienter mortuum esse, hoc est, potuisse quidem Christum morte & passione suâ redimere omnes omninò homines, & è faucibus Diaboli eripere, verum quoniam aliter ab æterno conclusum est, illud factum non oportuit, & hoc est ipsis efficienter non est mortuus. Sed absurdam hanc esse explicationem & Scripturæ è diametro oppositam ex solutione objectionum patebit.

CXXVI. 1. Objiciunt. Illa dicta ubi dicitur mortuus pro ovibus, pro Electis, pro multis, argumentum ita esse potest: Quicumque pro ovibus, pro Electis, & pro multis mortuus est, is non est mortuus pro omnibus. Atqui Christus pro ovibus, pro Electis & multis mortuus est, ut *Iohan. 10. v. 15. Iob. 17. v. 19. Matth. 26. v. 18.* Ergò non pro omnibus mortuus est.

Obiectio prima.

127. Resp.



Solutio.

CXXVII. R. Quæ quæso Majoris est consequentia: Christus mortuus est pro ovibus, pro Electis, pro multis. E. pro ovibus, pro Electis, pro multis tantum. Non sequitur, aliàs pari jure concludam: non omnes homines esse resurrecturos, quia scriptura dicit credentes resurgent. E. tantum credentes resurgent. Major erga sic formanda erat: Quicumque tantum pro ovibus, Electis & multis mortuus est, is non pro omnibus mortuus est. Verum stante hac propositione minor falsitate laborat; nunquam enim scriptura utitur exclusivâ hac in parte.

Deinde etiam observandum quando scriptura dicit Christum mortuum esse pro multis, vocabulum *Multi* pro omnibus accipi, ut Paulus clarè ostendit *Rom. 5. vers. 13.* Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justè constituentur multi. Ubi ex ea oppositione Pauli manifestum est, vocem *Multi* pro omnibus poni; aliàs illud absurdum emergeret, quod omnes non essent peccatores. Sic *Genes. 17. vers. 5.* etiam accipitur.

*Secunda
objectio.*

CXXIIX. 2. Pro quibus Christus non oravit, pro ijs etiam non est mortuus & satisfecit. Atqui pro reprobis non oravit. E. pro omnibus non est mortuus & satisfecit.

Solutio.

CXXIIX. Resp. Major simpliciter vera non est, sed addita hac limitatione: Pro quibus Christus neque generaliter neque specialiter oravit, pro ijs non est mortuus nec satisfecit, sed majore sic limitatâ minor est falsa, siquidem in ara crucis pro reprobis etiam oravit, quando dicit: Pater dimitte illis quoniam nesciunt quid faciunt. *Luc. 23. vers. 34.* In qua oratione etiam illi includuntur, qui eum crucifixerant ut Pilatus, Caiphas & alij, qui tamen reprobi fuerunt. Accedit quòd hoc ipso cap. Christus orat, ut mundus cognoscat & credat, quòd Pater filium suum miserit in hunc mundum, *vers. 21. & 23.* Diligenter igitur distinguendum inter officium Christi Sacerdotale & Propheticum: Non hujus sed illius respectu pro omnibus oravit.

130. Qui-

CXXX. 3. *Obiectio.* Quicumque sunt immaculati & sequuntur agnum, pro iis Christus est mortuus. Atqui non omnes sunt immaculati, & sequuntur agnum. Ergo pro omnibus non est mortuus Christus. Majorem probant ex dicto Apoc. 14. v. 3. & 4. ubi dicitur: *Qui non sunt coinquinati cum mulieribus, qui virgines sunt, qui sequuntur agnum, quocumque ierit, hi sunt empti vel redempti ex hominibus, ubi urgent particulam ex, quæ exclusionem quorundam hominum innuat.*

CXXXI. Resp. Distinguere hinc debebant Calviniani, quòd *Solutio.* quædam Scripturæ dicta de passione & redemptione Christi loquantur absolutè, ratione voluntatis & intentionis DEI, quædam limitatè ratione applicationis & salutaris perfruitionis intelligenda sint. Posteriori modo hoc dictum intelligendum est, hoc est, non ratione efficientiæ sed sufficientiæ, quod ex c. 5. manifestum est. Quando dicitur: hi sunt empti ex hominibus, verba sic explicanda sunt: Pro his Christus non tantum sufficienter satisfacit & mortuus est, sed etiam efficienter, id est, illi etiam passionem & mortem Christi verà fide sibi applicant.

CXXXII. 4. *Obiectio.* Cujus rei nullus potest assignari usus, illa res à DEO facta non est. Atqui mortis Christi pro reprobis nullus est usus. Ergo etiam illa pro reprobis facta non est. Minorem probant, quia cum Christus pateretur & moreretur, multi ab inferno continebantur, pro quibus frustra passus fuisset & mortuus.

CXXXIII. Resp. Minorem nego: Licet n. tunc temporis actus *Solutio.* passionis & mortis Christi non fuerit impletus, non tamen propterea frustra Christus pro his, qui in inferno erant, mortuus est, aliàs pari jure concludam, Christum pro Abrahamo, Isaaco & aliis piis hominibus, ante passionem Christi peractam jam mortuis, passum non fuisse, cum jam dudum vitæ æternæ hæredes extiterint.

Quare probè tenendum, quòd passionis & mortis Christi fructus non tum demum cœperit, cum ipso actu illa perageretur, sed extenderit se tum ad præteritum, tum ad futurum tempus. Non ergo frustra Christus pro damnatis mortuus & passus est, licet jam se convertere non possint, & ex inferno reluctari, quia suis temporibus passionem Christi futuram, ac promissiones de

Messia existentes verâ fide apprehendere debuissent, uti Patres & Prophetae, pique omnes in Veteri Testamento fide aeternam salutem consecuti sunt: Et quando Scriptura & Christus ipse affirmat, quod increduli damnentur & judicentur, qui non credunt in nomen unigeniti Filii DEI id tam de incredulis Veteris quam Novi Testamenti intelligendum est.

*Quinta ob-
jectio.*

CXXXIV. Quibuscunque Christus distribuit justitiam morte & sanguine partam, pro illis tantum est mortuus. Atqui solum fidelibus Christus distribuit suam justitiam morte & sanguine partam, *Actor. 20. v. 43. Rom. 3. v. 28.* Ergo pro solis fidelibus est mortuus.

Solutio.

CXXXV. s. Major cum veritate non congruit: Malè enim ipsa passio & fructus passionis confunduntur. Passio & mors universaliter se ad omnes homines extendit, fructus autem ad solos fideles pertinet. Licet ergo non omnes mortem & passionem sibi applicent, nec proinde ejus fructum percipiunt, non tamen inde sequitur, mortem pro omnibus factam non esse, aliàs pari ratione evincere possem, Verbum quoniam in omnibus non est fructiferum, omni creaturae proponendum non esse, quod tamen valdè absurdum & sacris literis contrarium.

MEMBRUM III.

De causa offerente.

*De causa of-
ferente.*

CXXXVI. Quia sic etiam universalitatem meriti à Christo præstiti confirmatam dedimus, recto ordine & methodo ad causam offerentem pergimus. Ut enim beneficia per obedientiam & satisfactionem Christi parta omnes tangunt: sic etiam ut per verbum eadem omnibus offerantur necesse est. Pro universalitate igitur vocationis primum argumentum nostrum tale est:

*Primum fun-
damentum
pro universa-*

CXXXVII. Quicumque ad amplectendam gratiam vocat omnes, is neminem excludit. Atqui DEUS ad amplectendam gratiam vocat omnes. Ergo neminem excludit. Major probatione
non

non indiget. Minor confirmatur ex Propheta Esai. cap. 55. v. 1. *libere voca-*
Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, tionis.
emite, & comedite; venite, emite absq; argento & absq; ulla commuta-
zione vinum & lac. Et Christus ipse Matth. 22. v. 28. omnes invitat
 dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam,*
 jam autem nemo hominum inveniri potest aut inventus est in
 toto terrarum orbe, qui non oneratus sit peccatis; *Quis enim da-*
bit mundum de immundo conceptum semine, ne unum quidem, Job. 14.
vers. 4. Sequitur ergo, quod omnes omnino vocentur.

Faciunt huc etiam parabola de vocatione in vineam, de
 invitatione ad nuptias & ad coenam magnam, Matth. 20. vers. 1.
 Luc. 14. v. 16. & seqq.

CXXXIX. 2. Quibuscunque DEUS vult praedicari Evange- *Secundum*
 lium, illos etiam vult vocari. Atqui DEUS vult omnibus pra- *fundamen-*
 dicari Evangelium. Ergo etiam omnes vult vocari. Major *tum.*
 per se manifesta est, cum nemini possit praedicari Evangelium,
 qui non vocem etiam audiat, teste Paulo Rom. 10. v. 17. Quomo-
 do credent, quem non audierant? Quomodo autem audient sine
 praedicante. Minor probatur ex dictis sequentibus: Marc. 16.
 v. 15. *Pradicate Evangelium omni creature, ubi omnes homines ratio-*
nis capaces, qui illud audire possunt, intelliguntur, quod patet
ex Matth. c. 18 v. 19. Eantes docete omnes gentes, & Luc. 24. v. 47. Sic
oportebat Christum pati, & resurgere a morte, & in nomine ejus praedicari
paenitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes hic dicitur. Act.
c. 17. v. 30. DEUM annunciare verbum suum per Apostolos, ut
omnes homines ubique respiscant, & Coloss. 1. v. 28. Annunciamus
Christum admonentes omnem hominem & docentes omnem hominem in
omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in CHRI-
STO IESU.

CXXXIX. 3. Quicumque vocat reprobos & reuertes, ut ad *Tertium fun-*
 conversionem & paenitentiam eant, is vocat omnes homines, *damentum.*
 Atqui DEUS vocat reprobos & reuertes, ut ad conversio-
 nem & paenitentiam eant. Ergo vocat omnes omnino homines.
 Majoris connexio patet, cum homines in hoc mundo viventes
 aut sint reprobi aut Electi, pii aut impii. Minorem confirmamus
 ex his Scripturae locis: Proverb. 1. v. 24. *Vocavi, & renuistis, extendi*

manum meam, & non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium. Esai. 26. v. 10. Gratia offeretur impio, nec tamen discet iustitiam. Esai. 55. v. 6. & 7. Querite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum propè est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus & ad DEVM nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Esai. 66. v. 4. Vocavi & non erat qui responderet: Locutus sum, & non audierunt, feceruntq; malum in oculis meis, & quæ nolui, elegerunt. Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus. Match. 23. v. 37. Quoties volui filios tuos congregare, & noluisti?

Calviniani
negant uni-
versalem vo-
cationem.

CXL. Calviniani qui, ut suprâ dictum, contra sacras paginas misericordem DEI voluntatem & meritum Christi ad solos Electos tantum extendunt: sic vocationem particularem faciunt, eamque solis offerri Electis dicunt. Sic Beza in Colloq. Momp. p. 383. Quos Dominus hoc modo non elegit, etsi millies baptizarentur externo aquæ Baptismo, illis tamen nunquam fides aut Spiritus sanctus donatur. Et p. 435. Reprobatos vel prorsus non vocat, vel ut maximè vocet, vocatio tamen prorsus inefficax est. Vocationem igitur non esse universalem, ut omnes salventur ex eo pater, quoniam multi sunt, qui verbum DEI non audierunt, quibus etiam nunquam prædicatum. Sic etiam reliqui Calviniani.

Exceptiones
Calviniano-
rum.

I.

CXLI. Excipiunt igitur ad dicta in medium allata variè: i. Distingunt inter vocationem internam & externam, hanc efficacem, illam inefficacem vocant, ut Paræus in Comment. in Epist. ad Rom. c. 8. p. 736. & alii, quam non sic explicant, ac si vocatio ex accidenti & ex parte hominum, qui pertinaciter vocationi resistunt, externa & inefficax evadat, sed per se & ex parte DEI, quod nunquam voluerit arcanâ voluntate, ut omnes homines vocentur.

Solutio prima
exceptionis.

CXLII. Verum ut in refutando hac distinctione prolixi sumus, opus haud est, cum ex dictis hætenus satis eluceat, non tantum absurdam, sed & blasphemam eam in DEVM esse, cum hypocriseos, à qua DEUS abest longissimè, insimuletur. Confundunt finem prædicati Evangelii ex DEI voluntate, & effectum, qui in hominibus apparet. Nos loquimur de fine ex DEI intentione,

tionem, ipsi de effectu excipiunt ex parte hominum, ut sic scopæ sint dissolutæ.

CXLIII. 2. Dicunt DEUM quibusdam verbum suum proponere, non ut convertantur, sed ut magis magisque indurentur & excœcentur. *Secunda exceptio.*

CXLIV. Resp. Hic iterum ex DEO hypocritam faciunt Calviniani, ac si vocet eos, quos tamen venire nolit, à qua blasphemia pia mens abhorret. 2. Quod ex accidenti fit justo DEI iudicio contemptum Verbi puniente, id per se fieri, male concludunt Calviniani. Quod enim quibusdam Verbum DEI fit odor mortis ad mortem, hoc ex accidente fit, siquidem illud per se verbum vitæ est. *Solutio.*

CXLV. Reliquas exceptiones in dissolvendis objectionibus adversariorum, refutabimus. *Pergo nunc sententiam nostram rationibus & testimonijs Patrum probare.*

RATIONES.

I. Rationem sumimus à DEI *veritate & sinceritate.* Quodcunque dogma DEUM hypocriteos insimulat, sive hypocritam facit, illud abominandum & tanquam blasphemum rejiciendum. Atqui dogma, quo statuitur, DEUM foris ostendere & offerre gratiam reprobis, intus autem nolle, ut illam recipiant, DEUM hypocriteos insimulat. Ergò illud abominandum est, & tanquam blasphemum rejiciendum. Major probatione non indiget. Minor clara: an non enim is meritò hypocrita salutareretur, qui externè sive foris aliquid se velle ostenderet, quod tamen intus respueret? Jam autem an non sic DEUS hypocrita fingitur, quando omnibus offerre gratiam dicitur, ut autem participes reddantur, omninò nolle. *Rationes Prima.*

CXLVI. *A periculo desperationis.* Quodcunque dogma homines ad desperationis barathrum adigit sive impellit, illud omninò falsum & rejiciendum. Atqui dogma de particularitate vocationis & promissionis homines ad desperationem adigit & impellit. Ergò illud falsum est & rejiciendum. Major adeò vera est, ut negare eam nemo queat. Minor facilè probatur: Si quis enim paucos esse illos, ad quos promissio & vocatio pertinet, *Secundaria ratio.*
audir,

audit, an non animus redditur ambiguus, & dubitare incipit, an etiam is in illorum numero comprehendatur, ad quos promissio spectet? Et annon sic via sternitur ad desperationem?

Tertia ratio.

CXLVII. 3. *Amisericordi voluntate DEI & redemptione.* Quorumcunque enim DEUS vult salutem, & pro quibus Christus satisfecit, ad illos pertinet promissio. At DEUS vult omnium salutem, & Christus pro omnibus satisfecit. Ergo ad omnes pertinet reconciliationis promissio. Majoris connexio firma est. Vana enim esset beneficiorum acquisitio, nisi attribuendorum simul esset promissio. Minorem in membro 2. & 3. hujus Cap. probatam dedimus.

Testimonia Patrum.

CXLIX. *Testimonia Patrum: Ioh. Chrysof. Homil. 7. in Iob.* Si illuminat, inquit, omnem hominem venientem in hunc mundum, quoniam pacto tot homines sine lumine permanent? neque enim omnes Christum agnoscunt: quomodo ergo illuminat omnem hominem? illuminat profecto quantum in ipso est, si qui autem suæ mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed ex malitia, qui spontè tanto se dono indignos reddiderunt.

2. *Ambros. l. 2. de voc. gentium c. 1.* Numquid hac præceptione (*Matth. 18.*) Euntes docete omnes gentes. *Marc. 16.* prædicatè Evangelium omni creaturæ (ullarum nationum ullorumvè hominum facta discretio est? neminem merito excipit, neminem separavit genere, neminem conditione distinxit.

3. *Eusebius l. 1. de prepar. Ev.* Salutarem hominum ad DEUM conversionem & amicitiam ab omnipotenti DEO missus DEUS verbum cunctis annunciat. Non hinc aut aliunde, sed cunctos ex gentibus, Græcos & Barbaros, omnem sexum, omnem ætatem, divites & pauperes, sapientes & contra, liberos & servos magnâ voce convocat hortaturq; omni studio, ut hoc bonû suscipiamus.

Argumenta adversariorum contra nostram sententiam.

CXLIX. Inter argumenta, quibus nostram impugnare sententiam annuntur Calviniani, in frontispicio semper hoc conspicitur, in quo sibi mirificè placent. Urgent nimirum *experientiam*, ex qua sic concludunt: Si vocatio est universalis, tunc omnibus & olim prædicari debuisset Evangelium & hodierno tempore omnibus annuntiaretur. Falsum est posterius. Ergo & prius.

150, Resp.

CL. Resp. ad Majorem. Attendendum esse Calvinianis, quo *Quo sensu*
 sensu vocatio universalis dicatur, nempe 1. ratione intentionis *universalis*
 DEI, qui vult, ut omnes ad agnitionem veritatis perveniant, *vocatio di-*
 1. *Tim. 2.* propterea etiam jubet, ut in omni terra prædicetur Evan- *catar.*
 gelium, ut supra à nobis multis Scripturæ dictis confirmatum
 est. 2. Ratione promissionum: Omnibus enim hominibus gra-
 tiam & misericordiam suam offert, & ut illam recipiant serid
 vult & experit, ut in membro primo hujus cap. conclusum. Ad
 Minorem dicimus eam esse falsam, siquidem DEUS non tantum
 voluit ipsos vocare, sed etiam ipso actu vocavit omnes ac ho-
 diè vocat. Quod demonstramus ac tribus vicibus id factum. *Tribus vici-*
 dicimus: 1. Tempore antediluviano. Adam enim creatus erat ad *bus facta est.*
 imaginem DEI, quam non tantum pro se, sed etiam pro poste-
 ris acceperat. Cum ergo hanc amitteret, & ita se & posteros per-
 deret, rursus DEUS ex mera misericordia concionem Evange-
 licam de semine contrituro caput serpentis Adamo proposuit,
 quam concionem posterius ipsius custodire debuissent, cujus rei ta-
 men contrarium exemplum de Caino extat, *Gen. 4. 16.* & querela
 ostendit *Gen. 6. v. 2.* 2. Post diluvium in familia Noachena, quæ
 rursus verbum puritati restituit, cum qua DEUS etiam pactum
 fecit, *Genes. 9. v. 9.* Hic iterum Nohæ posterius, ex quibus omnes
 gentes ortæ sunt, illud purum & incorruptum servare debuis-
 sent, quod tamen factum non esse, *cap. 11. Genes.* ostendit. 3. Tem-
 pore Apostolorum, quo in omnem terram sonus ipsorum exivit,
Marc. 16. vers. 20. ut etiam Pauli tempore prædicatum sit *Evange-*
lium apud omnem creaturam, quæ sub cælo est, & fructificavit in universo
mundo, Coloss. 1. v. 6. 25.

Pater ergò ex his, quòd non tantum ex DEI intentione,
 sed etiam ipso actu vocaverit ac vocet omnes. Quid autem non
 veniant & vocationi pareant, ut ita vocatio particularis red-
 datur, culpa non in DEO est, sed in hominibus, qui verbum ob-
 latum vel planè respuunt, & à se repellunt, vel, si habent, con-
 temnunt & aspernantur. Tale exemplum in gentilibus habemus,
 qui cum verbum DEI aspernarentur, & à se repellerent, Deus, qui
 antecedente voluntate eos voluit vocare, consequente propter

con-

contemptum verbi eos exclusit. Sic etiam actu vocabantur Judæi, sed quia verbum rejiciebant, Apostoli convertebantur ad gentes, *Act. 13 v. 46.* Ex quibus apparet, DEUM omnes velle vocare non absolute, sed conditionate, si nimirum gratia oblata ab ipsis non contemnatur.

Instantia.

CLI. Sed instant ipsi & excipiunt: *Filius non portabit iniquitatem Patris.* ut *Ezech. 18. v. 20.* quomodo posteris denegatur verbum propter majores, qui illud contemserunt?

Solutio.

CLII. Resp. Posterius non tantum vitio & malitia parentum, Verbi prædicatione privantur, sed etiam quia ipsi consentiant, & sic pedem ponunt in vestigia majorum, quam malitiam partim à parentibus trahunt per nativitatem, partim per educationem.

Quomodo hodierno die vocentur omnes homines.

Deinde dicimus, quod gentes in Veteri Testamento & hodiè omnes homines, licet non vocatione illustri & directa, tamen indirecta quotidie vocentur, & ad Ecclesiam invitentur,

1.

1. Per notitiam DEI in visibilibus operibus propositam, de qua Paulus *Rom. 1. v. 19, 20. 21. & Act. 14. v. 16.*

2.

2. Per propriam conscientiam, de qua iterum Paulus *Rom. 2. v. 15, 16.* Ostendunt opus legem inscriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiam ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium.

3.

3. Per celebritatem Ecclesie, quæ in Veteri Testamento in illustri loco, in medio terræ erat posita, quæ etiam celebris in conspectu gentium multis miraculis & prodigiis reddita fuit, ut sic fama ejus ad omnes peragrare potuerit.

4.

Quod etiam de Ecclesia N.T. verum est.

4. Per exempla illorum, qui ex gentilitate conversi fuerunt, quorum sanè multi fuerunt, Job, Idumæus, Jethro Midianita & multi alii. Ex quo apparet, quod isti omnibus his concionatoribus ad veram suscipiendam doctrinam invitati fuerint, quibus reliqui etiam prætere debissent.

Secunda ob-jectio,

CLII. 2. *Psal. 147. v. 10. Annunciat verba sua Jacob & justitias suas Israël: taliter non fecit omni nationi & judicia sua non manifestavit eis.*

Solutio.

CLIV. Resp. Hic non planè excluduntur gentes, sed tantum comparatè hic loquitur Psalter, quando dicit, quod non taliter sint vocati, an autem si taliter non sunt vocati ut Judæi, propterea planè non sunt vocati? Absurdum. Et Paulus *Rom. 1.* contrarium manifestè testatur, quando dicit, DEUM per creaturas ita genti-

gentibus declaravisse, ut sint inexcusabiles nimirum, quod in vanitate sua subsistentes cognitionem veritatis studiosius non inquisiverint. Deinde externum tantum ministerium intelligit Psaltes, quo caruerunt gentes, sed ex propria malitia & contemptu Verbi: Simpliciter tamen eos exclusos non esse, ostendunt illorum exempla, qui se à gentilitate converterunt ad Israëliticam Ecclesiam. Quod autem populo Israëlitico hoc beneficium contigit, ad solum DEI beneplacitum referendum est.

CLV. 3. Ezech. 3. v. 6. *Si ad illos mittereris, ipsi audirent.* Ergo in- *Tertia obje-*
quiunt, DEUS non vult, ut omnibus annuncietur Verbum, & *ctio.*
illud audiant.

CLVI. Sunt scopæ dissolutæ. Nos enim loquimur de ordi- *Solutio:*
naria vocatione, adversarii probant de extraordinaria, quæ mis-
sione Prophetarum fiebat, quam DEUS nemini debet, quæ et-
iam nihil beneficæ voluntati detrahere potest.

CLVII. 4. Matth. 10. v. 5. *In viam gentium ne abieritis, & in civita-* *Quarta ob-*
tem Samaritanorum ne ingrediamini. *jectio.*

CLIX. Committunt adversarii fallaciam à dicto secundum *Solutio.*
quid ad dictum simpliciter. DEUS vocatione hac illustri non
vocavit gentes. Ergo planè non vocavit. Quæ consequentia?
Contrarium testatur mandatum illud Christi Apostolis datum,
Marc. 16. v. 15. ubi jubentur Apostoli prædicare Evangelium omni
creaturæ. Suspensa est ergò tantum vocatio gentium, quia oportebat
Judæis primùm loqui Verbum DEI, *Actor. 13. v. 46.* Ratio-
nem reddit Apostolus Paulus *Rom. 15. v. 8.* quando dicit, Christum
fuisse ministrum circumcisionis ad implendas promissiones Pa-
tribus factus. Illis enim omninò primùm adventus Christi an-
nunciandus fuit, quia illi erant populus ille, qui ex Patribus
sanctis Abrahamo, Isaaco & Jacobo descendebat, quibus facta
erat promissio & cum quibus DEUS foedus suum sanciverat,
Genes. 17. v. 1. 2. Attendendum etiam, quòd tunc temporis, quo
annunciabatur Judæis Evangelium inter gentiles fuerit vocatio;
Testantur id 1. Profelyti ex omni natione, quæ sub cælo sunt,
Actor. 2. & 2. conciones Christi & Apostolorum, quæ promiscuè
ad omnes sive Judæi fuerint, sive Ethnici, factæ sunt, & 3. ran-
dem exempla, quòd Christus aliquoties tum quosdam ex Sama-
G mari-

ritanis, tum ex gentibus sanitati corporis & animæ restituerit, ut pater exemplo Centurionis, Reguli, Cananæ, Samaritanæ mulieris & civium oppidi Sichar Samaritanorum.

Quinta ob-
jectio.

CLIX. 5. *Matth. II. v. 21.* Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in sacco & cinere scelerum suorum egissent pœnitentiam. Ergò DEUS non obtulit illis gratiam, quâ ad pœnitentiam converti potuissent.

Solutio.

Resp. Iterum falluntur adversarii fallaciâ à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: Licet enim DEUS singulari illâ ratione edendorum miraculorum, & ita extraordinariè illos convertere noluit, tamen ordinariè illud noluisse falsum est, siquidem illi Sodomitæ ministerio verbi non destituebantur: Vivebat enim inter illos Loth præco justitiæ, qui viam salutis ipsis monstrabat, sed absque fructu. Sic etiam Tyrii & Sidonii non longè aberrant à populo Israëlítico, ut sic facillè verum cultum inquirere potuissent.

Ordinariam ergò DEUS ipsorum conversionem voluit, de qua potissimùm hic controversatur. Extraordinariam noluisse dici potest, quia multitudo signorum sive miraculorum, quæ in Capernaum & in reliquis Galilææ oppidis edita sunt, Messicæ temporibus erant reservanda, ut per ea Israël manifestaretur.

Sexta ob-
jectio.

CLIX. 6. *Actor. 16. v. 6.* Paulus & Silas prohibentur à Spiritu sancto loqui sermonem in Asia, & cum tentarent ire in Bithyniam non permisit eis Spiritus sanctus. Ergò DEUS non vult ut omnes vocentur. Resp. In eundem erroris lapidem impingunt Calviniani, ut in argumento 2. & 3.

Solutio.

CLX. Prohibiti fuerunt Paulus & Silas ad tempus prædicare Evangelium in his locis, Ergò simpliciter prohibiti fuerunt. Nulla, nulla est sequela. Siquidem Evangelium postea in Asia & Bithynia prædicatum esse testis est inscriptio Epistolæ prioris Petri, & Christus in *Apoc. 6. v. 2.* Causa autem quòd prius in Macedonia quàm in Asiam & Bithyniam jubentur Paulus & Silas ire, illa est, quia DEUS omniscius majorem & uberiorem fructum verbi in Macedonia futurum videbat. 2. Observandum hîc, quòd etiam ante illud tempus Asiatici Apostolos audiverint prædicare magnalia DEI, ut ex *Actor. 2. v. 9.* constat, imò *Act. 6. v. 9.* quidam

quidam cum Stephano disputabant, quomodo ergo Evangelium
potuit esse illis ignotum?

CLXI. 7. 1. Cor. 1. v. 26. *Videte vocationem vestram fratres, quod non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi, elegit DEVS.* Ergo non omnes vocantur.

CLXII. Resp. Vocationem esse duplicem: 1. Est simplex, prout ex parte DEI consideratur, sic voce Verbi omnes invitantur ad poenitentiam, fidem & salutem. 2. Consideratur ex parte hominum prout ei homines parent, & obsequium praestant, de hac, non de illa loquitur Apostolus. Sic vocatio, quatenus includit fidem, cum Electione coincidit, ut Rom. 8. *Quos praeordinavit, hos vocavit;* Et illa vocatio non universalis, sed particularis est.

CLXIII. 8. Si DEUS vocaret omnes, omnibus etiam daret fidem, sed falsum est posterius. Ergo & prius.

CLXIV. Resp. Consequentia majoris vacillat: Causa enim, quod quidam Verbum audientes non concipiant fidem & sic convertantur, non est quaerenda in Deo aut absoluto ejus decreto, sed potius in homine, qui media illa, per qua fides datur, negligit ac contemnit. Quod verum esse patet ex parabola Christi de quadruplici semine *Matth. 13. v. 3. Luc. 8. v. 5.* in qua manifesta redditur causa, cur semen, id est, Verbum DEI non in omni agro, hoc est, auditoribus fructificet, nempe quod illa non haereat in semine, non in seminante, sed tantum in agro, id est, in auditoribus.

MEMBRUM IV.

De causa instrumentali.

CLXV. Cum ergo universalem voluntatem DEI, universale meritum Christi & universalem vocationem esse audiverimus, non immerito quaeritur, cur ergo Electio non sit universalis, sed particularis? Ad quam quaestionem ut respondeatur de causa instrumentali, qua fides est, porro agendum restat. Hac enim instar manus est, qua tria haec fulcra apprehendere & sibi applicare debet. Dicitur autem fides causa instrumentalis Electionis, non respectu totius decreti, sed respectu partis, nempe meriti Christi, quod fides apprehendit, & propterea quidam Theologi

*Septima ob-
jectio.*

*Solutio.
Vocatio du-
plex.*

*Octava ob-
jectio.*

Solutio.

*Quomodo fi-
des dicatur
causa instru-
mentalis Ele-
ctionis.*

vocant conditionem Electionis vel partem ordinis prædestinatorii. Illa enim seorsim considerata nunquam causam Electionis constituit, sed semper quatenus inclusum habet meritum Christi. Utrumq; enim DEUS in Electione respexit & fidem & meritum Christi, neq; fides sine illo, neq; illud sine fide Deum permovet, ut eligeret homines. Sed utrum; in præscientia conjunctum fuit. Fidem autem non temporalem, sed perseverantem intelligimus.

CLXVII. Hæc orthodoxa nostra est sententia super fundamentum Apost. exstructa, quâ stante corrumpitur & in fumum abit tum Calvinianorum, qui DEUM absolute sine respectu fidei quosdam elegisse falso statuunt, tum Pontificiorum opinio, qui licet absolute Electionem factam esse negant, tamen falso opera prætendunt, quasi DEUS in Electione his permotus fuisset. Nos primò pergimus ad probandam nostram thesin, postea & adversariorum tela contra nos directa abigemus.

Primum argumentum pro orthodoxa sententia ex Scriptura desumptum.

CLXVIII. *Quodcumq; DEVS elegit in sanctificatione Spiritus & fide veritatis, eos neq; absolute, neq; propter opera prævisa elegit. Atqui DEVS elegit quosdam homines ad salutem in sanctificatione Spiritus & fide veritatis. Ergò eos non absolute nec propter prævisa opera elegit.* Majoris conexio patet I. *Non elegit absolute, quia dato medio, absolutum decretum non ampliùs locum habet, sed datur medium, nimirum fides apprehendens. Ergò absolutum decretum ampliùs locum non habet. Non propter prævisa opera, quia in justificationis actu, qui est æterni decreti executio, excluduntur.* Major est Pauli 2. Thess. 2. v. 13. *Elegit nos DEVS ab æterno ad salutem in sanctificatione Spiritus & fide veritatis.* Ubi per sanctificationem Spiritus intelligit ministerium Evangelii, per quod sanctificamur, Ioh. 17. vers. 17. Act. 15. v. 8. Vult igitur dicere Apostolus: *Electi sumus per ministerium Evangelii & fidem in Christum.* Sequitur ergò, quòd neque absolute neque propter prævisa opera, sed per fidem facta sit Electio.

Prima Calvinianorum exceptio. Solutio.

CLXIX. Excipiunt hic quidam Calviniani, *DEVM non Electionis, sed salutis causas recensere.* Sed errant Calviniani magnum errorem, cum voces istas *in sanctificatione Spiritus & fide veritatis* non ad salutem, sed Electionem referat Apostolus. Deinde salus in tempore sequitur; Atque hæc Pauli ad salutem in fide Electio facta

facta est ab æterno, quomodo ergò verba illa ad salutem referri possunt?

CLXX. 2. Excipiunt, sequi non minùs sanctitatem vitæ esse Electionis causam, quàm fidem. *Secunda.*

Resp. In textu habetur ἀγιασμός, quod non sanctitatem sive bona opera denotat, sed sanctificationem Spiritus, quam ille excitat & in Christo sanctificat corda hominum. Aliud enim sanctificatio, aliud sanctitas, illa hujus causa, hæc illius effectum. *Solutio.*

CLXXI. 2. Quod Christus ipse restringit ad fidem, illud neq; absolute neq; propter prævisa opera factum est. Atqui Electionem ad vitam æternam Christus restringit ad fidem. Ergò neq; absolute, neq; propter prævisa opera facta est Electio. Majoris consequentia firma est, ubi enim datur restrictio ad medium, ibi cessat absolutum decretum. Pari modo, si fides apprehendens Christum Electionem operatur, bona opera otiosa erunt. Minor est Christi, qui quando Electionis decretum nobis enarrat, sic loquitur Johan. 6. Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et I. Corinth. I. V. 21. Visum est DEO per stultam prædicationem facere salvos credentes. *Secundum argumentum.*

CLXXII. 3. Quoscunq; DEVS elegit in fide, illos neq; absolute, neq; propter prævisa opera elegit. Atqui quosdam DEVS elegit in fide. Ergò neq; absolute neq; propter prævisa opera DEVS eos elegit. Majoris connectio patet: Si enim est medium Electionis, tunc Electio non facta esse potest absolute, nec propter prævisa opera, quia fides & opera, ut in justificatione, sic etiam in Electione sibi mutuò opponuntur, ut supra dictum. Minor probatur ex Epist. Jacob. 2: v. 5. Nennè DEVS elegit pauperes hujus mundi divites in fide, & propterea etiam fides dicitur esse Electorium DEI, Tit. I. V. I. *Tertium argumentum.*

RATIONES.

CLXXIII. Quicunq; DEO placent, illi placent per fidem; quia sine fide DEO placere non potest, Hebr. II. V. 6. Electi placent DEO. Ergò placent per fidem. Minor probatur: Quoscunq; specialiter diligit, & multis beneficiis tam spiritualibus quàm corporalibus afficit, illi placent DEO. Atqui Electos speciali-



ter DEUS diligit, & multis beneficiis tam spiritualibus, quam corporalibus afficit. Ergo &c. Minor rursus vera est; quomodo enim quem elegerit DEUS, non specialiter diligit? unde sequitur, quod per fidem, ideoque non absolute, nec propter praevisa opera facta sit electio.

Secunda ratio.

CLXXIV. 2. Meritum Christi, quando ingreditur decretum Electionis, fit illud aut simpliciter & absolute, aut conditionaliter vel relate. Non absolute, quia sic sine fide Christus prodesset, ac per consequens universalis foret Electio, quod absurdum & contra sacras paginas. Ergo relate, quatenus fide apprehensum est.

Tertia ratio.

CLXXV. 3. Pro quibuscunque Christus specialiter non oravit & intercessit, illi non eliguntur. Atqui pro incredulis non oravit neque intercessit Christus. Ergo. Major patet per se. Minor est *Ioh. c. 17. v. 20.*

Quarta ratio.

CLXXVI. 4. Si quidam ex beneplacito & gratis praedestinantur, utique non ex operum praevisione: Rationem Paulus habet *Rom. 11. v. 6.* Si ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia. Atqui Electi etiam praedestinantur secundum beneplacitum & gratiam, *Ephes. 1. v. 4.* Ergo &c.

Quinta ratio.

CLXXVII. 5. Quodcunque opus est solius DEI misericordiae, id operibus hominum adscribi non potest. Electio est opus solius misericordiae DEI. Ergo operibus hominum adscribi non potest. Minor patet ex Paulo, qui *Rom. 9.* Electionem declarationem divitiarum gratiae in vasa misericordiae appellat.

Testimonia Patrum.

CLXXIIX. *Ambr. lib. 1. de vocat. gent. c. 10.* In Electione quicquid hominum in Christo praecognitum non est, nullam eidem ratione sociabitur.

Hieronym. super verba Rom. 8. Hos qui secundum propositum vocati sunt, secundum quod proposuit sola fide salvare, quos praesciverat credituros, & quos gratis vocavit ad salutem, multo magis glorificabit ad salutem.

Fulg.

Fulg. de incarn. & gratia Christi, c. ult. Cujus, inquit, prædestinationis veritatem, quæ nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detractat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis impietatis suæ contumaciam, quæ DEO meo & vero rebellis obstiterit, non abjecerit, manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos DEUS in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit & prædestinavit ad regnum.

Objectiones Pontificorum.

CLXXIX. 1. Ex dicto Matth. 25. v. 13. *Venite benedicti, possidete regnum, quod paratum est vobis à constitutione mundi. Esurivi enim & dedistis mihi manducare.* Et infra: *Discedite à me maligni in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Ex hoc loco colligimus, inquit, DEUM ab æterno præparasse aliquibus vitam æternam propter prævisa merita, aliis mortem propter prævisa opera. At illa præparatio vitæ & mortis nihil aliud est, quàm prædestinatio & reprobatio. Ergò utraque facta est ex operibus prævisis.

CLXXX. Resp. Verùm pro sua sententia adeò nihil ex hoc dicto obtinebit, ut contrarium potius tribus firmissimis argumentis demonstremus. 1. Primò enim dicuntur benedicti, ubi benedictio spiritualis intelligitur; Eam verò non ex operibus, sed ex Christo habent: Ipse enim est semen illud benedictum, in quò benedicuntur omnes familie terræ, *Genesis 22 Galat. 3.* Et hanc benedictionem fide apprehendi ipse Apostolus, *Galat. 3.* pronunciat, dicens: *Qui ex fide sunt, benedicuntur cum fidei Abrahamo.* Nam quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxii. 2. Dicitur possidete regnum, ubi habetur in Græco *κληρονομήσατε*, hæreditate. Jam autem *κληρονομεῖν* significat jure hæreditatis consequi. Hæreditas autem nemini obtingit ex merito. Quoniam erga nos sumus hæredes & quidem cohæredes Christi, sequitur gratis id nobis obvenire sine operibus.

Prima ob-
jectio.

Becanus in
Theologia
scholastica c.
14. quest. 4.

Solutio.

operibus per fidem. 3. Possidete regnum, quod paratum est ab exordio mundi. Jam si regnum paratum est ab exordio mundi, quivis iatelligit, non propter opera multò post secutura obvenire. Jam autem paratum est regnum ab exordio mundi. Ergò non propter opera multò post secutura, sed propter Christum datur, in quo electi sumus ad vitam, antequam jacerentur fundamenta mundi. Quod ipse typus Esavi & Jacobi, quem Paulus Rom. 9. proponit, satis superque declarat.

Particula $\gamma\delta$
non semper
causalis est,
sed quantoq;
ratiocinativa.

CLXXXI. Apparet ergo ex dictis, particulam $\gamma\delta$ non causalem esse, sed ratiocinativam. Christus siquidem non à causis ad effectum, sed ab effectu ad causam argumentatur, & ex operibus vult demonstrare, illos veram habuisse fidem. Illa igitur opera ut testimonia fidei adducuntur, non ut fons & causa hæreditatis: siquidem ex iis tantum id manifestum erit, fuisse fidem illorum veram & rectam, utpotè, quæ per indubitatos hosce, fructus efficaciter operatur.

Secunda ob-
jectio.

CLXXXII. 2. 1. Tim, 2. vers. 3. DEVS vult omnes homines salvos fieri. Hoc, inquit idem *Becanus*, citato loco, non potest intelligi de voluntate absoluta & efficaci, quia alioquin salvi fierent omnes, quod falsum. Ergò intelligitur de voluntate conditionata & inefficaci. Et concludit postea, quòd hæc voluntas conditionata & inefficax non potuit fieri efficax, nisi ex prævisione meritum, Ergò DEUS nemini absolutè & efficaciter voluit dare vitam æternam, nisi ex prævisis meritis.

Solutio.

CLXXXIII. Resp. Fallit consequentiæ ratio in argumento. Non enim sequitur, DEUS nemini voluit absolutè & efficaciter vitam æternam dare. Ergò propter opera eam dare voluit. Scriptura enim aliud affirmat, nempe DEUM meritum Christi fide apprehensum in Electione respicere, & propter illud, si verà fide apprehendatur, vitam æternam dare velle. Petitur ergò principium, cum id probare debeat *Becanus*, Electionem factam esse propter opera, quod nos cum Scripturâ negamus. Ergò reliqua, quæ atrexit, ex falsa illa consequentia oriuntur, quæ cum corrui, reliqua etiam consistere nequeunt.

Tertia ob-
jectio.

CLXXXIV. 3. Probare annuntur Pontificii suam sententiam ex illis Scripturæ locis, ubi vita æterna dicitur *præmium, merces,*

res. retributio, corona justitia. Nemo enim efficaciter vult alicui dare mercedem seu retributionem sine meritis. Ergo nec Deus absolutè & efficaciter voluit dare vitam æternam tanquam mercedem & retributionem sine meritis.

CLXXXV. Resp. Ludit adversarius vocabulo *mercedis*. Hæc *Solutio.* enim duplex: 1. *Debita*, quæ opponitur gratuito, & datur vel propter officium vel laborem præstitum. De hac loquitur Apostolus Rom. 4. v. 4. *Ei, qui operatur, merces datur ex debito, & hæc locum* *Merces duplex.* *habet in contractibus humanis.* 2. *Indebita*, quæ inani opponitur, & datur hæc non ex debito, sed gratis sive gratuito, propterea etiam gratuitum officii aut laboris præmium, non debitum appellatur, ut Jerem. 31. v. 17. *Est quoque spes novissimo tuo, quod v. 16. sic enunciatur, quia est merces operi tuo.* Sic quando parens filio, ut diu noctuque assiduus sit in studiis, promittit aliquid, & dicit: Si illud facturus es, hæc erit merces tua; Ibi certè verbum *mercedis* pro gratuito præmio sumitur, cum diligentia & assiduitas in studiis aliàs sit debita. De hac mercede iterum Apostolus Rom. 4. v. 5. *Ei, qui non operatur, imputatur merces secundum gratiam.* Fallit ergo axioma illud, nec universaliter verum est, ubi merces ibi meritum, de mercede debita concedimus, de indebita negamus.

CLXXXVI. Quando igitur vita æterna merces dicitur, non debita sed indebita intelligitur, quod patet ex carentia proportionis inter opera nostra & vitam æternam. Illa sunt imperfecta & finita, hæc perfectissima & infinita. 2. *Ex debito.* DEO enim aliàs plus debemus, quàm præstare valemus. 3. *Ex appellatione vite æternæ*, quæ alibi in Scripturis donum DEI dicitur, Rom. 6. v. 23. si autem donum, quomodo merces debita? 4. Et quomodo bona opera merces debita appellari possunt, cum Paulus à salvatione simpliciter ea excludat, Rom. 4. v. 5. & Tit. 3. v. 3. Non ex operibus justis, quæ feceramus nos, sed ex sua misericordia servavit?

CLXXXVII. Dicitur autem vita æterna merces, 1. *ob consecutionem*, 2. *ob promissionem*: Ob *consecutionem*, quia nostra bona opera consequitur tanquam fructus; sicut hæreditas datur filio ob *Quare vita æterna dicitur merces.* *filiationem*, non propter officia, Ob *promissionem*, quia enim

H

DEUS

DEUS promisit, quod omnibus bene operantibus, & bona opera
sectantibus, velit dare vitam æternam, exinde quasi debitam po-
scimus, quia omne promissum cadit in debitum. Neque illud de-
bitum abolet gratuitum, aut meritum astruit, sed confirmat po-
tius gratuitum & meritum destruit. Si enim propter promissio-
nem, non propter opera.

Objectiones Calvinianorum.

Obiectio pri-
ma.

Solutio.

Effectum po-
test esse causa.

CLXXXIIX. Effectum non est causa. Meritum Christi &
fides hominis sunt effectum Electionis. Ergo non causa.

Resp. Hujus argumenti & major & minor propositio limi-
tatione indiget. Majorem universaliter veram haud esse, calcu-
lus Philosophorum probat. *Arist. n. l. 2. Physic. c. 3. Coclenius & Timpl.*
expressè dicunt, unam eandemque rem quandoque causam & ef-
fectum esse posse, & ex sequentibus exemplis præterea liquidum
est: Ædificium enim annon & causa finalis est & effectum archi-
tecti? Sic celebratio divini nominis, & actio hominis & ejusdem
finis rectè vocatur. Sic ergo limitanda major: Effectum non
est causa formaliter, est tamen causa materialiter & diverso re-
spectu. Quod sic intelligendum: Terminus causæ considera-
tur duplici modo, 1. notat Ens absolutum, & hoc diverso re-
spectu potest esse causatum, vel ipsum relatum; & hoc modo non
potest unum idemque causa & effectum esse simul. Hæc ad ma-
jorem.

Ad minorem
quadruplici-
ter responde-
tur:

1.
Meritū & fi-
des dupliciter
consideran-
tur.

CLXXXIX. Ad minorem quatuor notantur ab Orthodoxis:
1. Dicunt, quod meritum & fides dupliciter considerentur, vel ra-
tione divini intuitus, & ita causa est Electionis, vel ratione ipsius
actus & ita effectum. Merito enim Christi fide apprehenso motus
& impulsus fuit DEUS tanquam à causa, ut eligeret, & ita causa
est, quatenus in divina versatur prævisione, ad quam in eligendo
respexit, sicut finis ut à primario agente consideratur, vim causæ
habet, & simul effectum est, quando jam ipso actu productus
existit. Sin verò ratione actus Electio ponderatur, tunc fides ef-
fectum dicitur, quia *quos prædestinavit, hos vocavit & justificavit Deus,*
Rom. 8. v. 20.

2. No-

2. Norandum & id, quod æternum DEI propositum ad diversa objecta tendat, quorum alterum est *personarum*, alterum *Propositum verum*. Et hinc duæ quasi partes decreti oriuntur, quarum prior *DEI æternum* specialis personarum Electio, posterior mediolorum prædestinatio *ad diversa* vel præordinatio appellari potest. Hæc tamen non *tendit objecta*, sed conjunctim in Electionis decreto concurrunt. Et sic duplicem accipiunt respectum, meritum Christi & fides apprehendens, nempe tum *causa*, tum *effectus*. Quatenus enim referuntur ad electionem personarum salvandarum, causæ vim habent, cum absque merito Christi fide apprehenso nemo ad salutem eligi potuerit. Quatenus verò referuntur ad mediolorum prædestinationem sive ordinationem, rationem effectus obtinent, quoniam illa media meritum & fides ideò dantur in tempore, quia ab æterno dare DEUS decrevit.

CXC. 3. Quidam & hoc addunt, quod quando dicimus Electionem *causam meritum Christi & fidei esse*, non *accurata*, sed *popularis sit locutio*: Vera enim causa meriti Christi est gratuitum de missione & passione decretum, fidei efficiens causa principalis est Spiritus sanctus, qui per causas instrumentales prædicationem & auditum in hominum cordibus illam accendit, fovet & auget. Quatenus ergò vocabulum causæ latius sumitur pro omni antecedente; & effecti pro consequente, tum meritum Christi & fides effectum dicitur, quia nimirum Electionem sequitur.

CXCI. 4. Tandem & illud observandum judicant Theologi, quod *quædam* enuncientur de toto, quæ est totum, quædam de toto propter aliquam ipsius partem; ut pars familiæ sunt liberi, & tamen effecta etiam rectè appellantur propter parentes, ex quibus nati sunt. Pari ratione quoniam Electionis decretum ingreditur dilectio DEI, & gratia tanquam causa principalis, à qua cetera promanant reliqua, quæ ad salutem necessaria & in tempore conferuntur, propterea meritum CHRISTI & fides effectum Electionis nuncupatur, non ob totam Electionem, sed ob gratiam & dilectionem, quæ Electioni includitur.

Secunda ob-
jectio.

CXCII. Joh. 10. v. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Ergò illis tantùm fides confertur, qui absoluto decreto in numerum ovium sunt electi.

Solutio.

Resp. Ad integram sententiam Christi respiciendum est, quæ sic habet: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis, sicut dixi vobis, oves meæ vocem meam audiunt, quæ verba digitum intendunt ad ea, quæ paulò antè dixerat; ea verò hæc erant, oves Christi audire vocem pastoris sui & sequi illum.* Ex quo manifestum est, hanc mentem verborum Christi esse: Mirum non est vos credere, quia re ipsa ostenditis vos non esse ex ovibus meis, siquidem notas non habetis, quas requiro in ovibus meis, nempe ut vocem meam audiant. Et hanc interpretationem veram esse, contextus collatio ostendit. Particula proinde *quia non αιτιολογική*, vel causalis, sed partim *συλλογιστική*, ratiocinativa, partim *εκβαλτική*, vel eventualis est. Nam non infrequens est in Scriptura, ut dicantur quædam *αιτιολογικῶς*, quæ tamen *εκβαλτικῶς* intelligi debent, jubente sic fidei nostræ analogiâ, ut *Psal. 51. v. 6. Rom. 11. v. 32*

Tertia ob-
jectio.

CXCIII. Act. 13. *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Ergò ab Electione pendet fides tanquam effectum à sua causa.

Solutio.

Resp. Cùm suprâ in prima objectione, quomodo fides tum causa tum effectum sit Electionis, declaraverimus, nihil hîc addimus. 2. Contrarium potius concluditur contra Calvinianos sic: Si fideles ordinati sunt ad salutem, id est, certo electi ordine. Ergò Electi sunt non absoluto DEI decreto. In his ergo verbis nihil aliqd describitur, quàm executio cum decreto ab æterno facto, & sensus verborum Christi est is: *Crediderunt quotquot ordinem à DEO in consequenda salute constitutum secuti sunt, qui nullus est alius, quàm ut verbum DEI attentè audiantur, & legitimè Sacramenta accipiantur.*

CXCIV. Quam interpretationem antecedentia & sequentia probant. Dicitur enim: *audientes autem gentes gavise sunt & glorificaverunt verbum Domini.* Hi ergò erant, qui ordinem istum sequebantur, id est, receperunt Evangelium cum gaudio. Judæi verò ordinati non erant, quia repellebant verbum à se, ac illud respue-

respuebant, ut expressè dicitur: *Vobis oportebat primò annunciari sermonem, sed quia repellitis illum, & indignum vos judicatis vità eternà, ad gentes convertimur.*

CXCV. 4. Joh. 15. v. 17. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ergò *Quarta ob- fides nostra non est causa Electionis, quæ DEUM ad eligendum jectio. impulerit.*

Resp. Cum quo pugnant jam Calviniani? forsan cum larvis suis. Quis enim unquam Orthodoxorum affirmavit fidem esse causam impulsivam, quâ DEUS ad eligendum impulsus fuerit? Nullus hoc dixit, sed contrarium potius statuunt Nostri negantes fidem esse causam impulsivam, cum illa sit meritum Christi fide apprehensum, siquidem DEUS quos in Christum finaliter credituros prævidit, hos elegit. Fides ergò tantum est organon, quæ apprehendit & applicat sibi causam impulsivam meritum Christi. Et exinde, dicunt Orthodoxi, nos non propter fidem, sed per fidem justificari & salvari. *Solutio:*

CXCVI. *Vocatio & justificatio sunt effectus Electionis, Rom. 8. v. 29.* Ergò etiam fides ex vocatione dependens, & per consequens *Quinta ob- causa Electionis non est. jectio.*

Resp. Hoc argumentum iterum nos non ferit, cum non dicamus fidem esse causam vel efficientem, vel meritoriam Electionis, sed tantum organicam, quæ meritum Christi apprehendat, & ideò dicimus Electionem factam esse *Solutio. ἐκ τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ, quod Apostolus in hoc ipso loco satis, superq; confirmat.*

MEMBRUM V.

De materia seu objecto.

CXCVII. Materiam seu objectum Prædestinationis quod *Objectum attinet, illud solos homines fide Christum amplectentes inque Prædestina- ca usque ad finem vitæ perseverantes ex Scriptura constituimus. tionis homi- nes.* Ubi valde errant tum Pontificii tum Calviniani, qui angelos quoque bonos à DEO prædestinatos & electos judicant, idque probare annuntiant ex dicto 1. Tim. 5. v. 2. ubi dicitur: *Testor coram DEO & Christo Iesu & coram electis angelis, ut hæc custodias.* Bellarm. *n. l. 2, de Grat. & Lib. Arb. c. 17, col. 639, dicit: Esse autem angelos electos*



ctos ac prædestinatos docet Apostolus, cum dicit, *Testor coram DEO*
&c. Deinde duo loca ex *August.* profert in *Ench. c. 100. & l. 1. Re-*
tract. c. 13.

Vocabulum
Electiois du-
pliciter su-
mitur.

CXCIIX. Verum ad hæc priusquam respondeamus, ambi-
guitatem vocabuli *Electiois* explicabimus: Usurpatur enim il-
lud vel *uara γεννησις & late*, pro omni DEI decreto gloriæ ab
æterno facto, & hoc modo angeli etiam possunt dici electi sine
ulla absurditate. DEUS siquidem ab æterno illos, antequam
crearentur, quos in bonitate, in qua creati erant, perseveraturos
prævidit, in bono confirmare & in æternum beare & salvare
constituit; omne siquidem quicquid DEUS in tempore agit,
illud ab æterno se facturum decrevit: Vel sumitur *ιδίως & pro-*
priè secundum mentem & sensum Scripturæ, ubi per illud nihil
aliud intelligit Scriptura, quam decretum à DEO ab æterno fa-
ctum de salvandis lapsis hominibus & perseverantibus in fide.
Et hoc sensu Angeli nullo modo electi pronunciari possunt, quod
tribus argumentis sic demonstro infallibiliter.

Angeli propriè
Electi non
sunt.
Primum fun-
damentum.

CXCIX. 1. *Si electio concernit tantum homines, qui in Adamo lapsi*
sunt & peccaverunt, ad angelos referri non debet, nec ad eos pertinet. Atqui
Electio tantum concernit homines, qui in Adamo lapsi sunt & peccaverunt.
Ergo &c. Major suâ luce radiat. Minor facile probatur, quia
Electio ante lapsus prævisionem facta non est, aliâs absurdè se-
queretur, factam esse post decretam Christi incarnationem, cum
tamen Electio fundata sit in unico Christi merito. 2. Misericor-
dia eligentis locum non habet, nisi præcedat miseria, quod ipse
Beza fateatur. Jam autem ex misericordia sumus electi, uti su-
prâ monstratum est.

Secundum
fundamen-
tum.

CC. 2. Si Electio propriè sic dicta facta est in Christo, & per
fidem, sequitur, Angelos electos dici non posse. Atqui verum
est prius. Ergo & posterius.

Connexio majoris per se vera est. Minor confirmatur:
Quorum Christus redemptor non est, illi in ipso electi dici non
possunt: Hoc enim respectu dicitur Electio facta in Christo,
Ephes. 1. v. 6. 7. Jam autem Angelorum redemptor non est, quia
pro impiis tantum satisfecit, *Rom. 5. v. 6.* & venit salvare quod
perierat, *Luc. 19. v. 10.* propterea etiam dicit Scriptura, quod non
Ange-

Angelos, sed semen Abrahamæ Christus assumerit, *Hebr. 2. v. 16.* Deinde fidem non habent Angeli, intellige justificantem, quæ est pars Electionis, quia illa apprehendit satisfactionem Redemptoris, quæ cum pro ipsis facta non sit, sequitur, nec hanc fidem in ipsos cadere, licet non negemus, articulorum notitiam & assensum ipsos habere.

CCI. 3. Quicumque in tempore non vocantur, nec justificantur, illi electi non sunt. Atqui angeli in tempore non vocantur, nec justificantur. Ergo. *Tertium fundamentum.*

Majoris consequentia ex eo est manifesta, quia vocationem, justificationem & Electionem Apostolus Paulus *Rom. 8. v. 20.* conjungit, dicens: *Quos prædestinavit, hos vocavit, quos vocavit, hos etiam glorificavit.*

Minor probatur, quia nunquam sunt vocati per Evangelium, neque justificatione opus habent, cum ipsi sint per se immaculati & sanctissimi, & a peccatis immunes.

CCII. Quod dictum, ab adversariis allatum, attinet, ad id reponitur: 1. Quoniam ejus expositio Calvinistica toti Scripturæ reclamatur, & cum illa pugnat, ut ex nostris argumentis liquet, idcirco ejus talis quærenda est interpretatio, quæ & textui sit conveniens, & cum reliquis dictis Scripturæ concordet. Proinde dicunt quidam, Apostolum per *Angelos* verbi ministros notare, cum illi etiam ad annunciandum verbum DEI tanquam legati mittantur, & hos Apostolus tanquam testes advocet, quia alter debet revereri alterum, ne aliquid faciendo mali in cæterorum incurrat correctionem. Neque Scripturæ infrequens est, ut ministros verbi angelos appelliter, ab officio suo, quo funguntur, ut *Malach. 2. v. 3. & 6. 2. v. 1.* Nihil ergo sic locus iste faceret pro adversariorum sententia astuenda, quin potius de temporali ad ministerium Electione, quam de Prædestinatione æternâ ad gloriam sermo fieret. Sed largiamur ex abundantia, per angelos intelligi spirituales creaturas, nihil tamen præsidii habent adversarii, cum vocabulum (*Electi*) *ἁγίων* & generaliter hic usurpetur pro dilectis Deo, gratis & acceptis. Et hoc sensu vocabulum sæpius

*Solutio dicti
1. Tim. 5. v. 2.*

ſæpius in Scripturis uſurpatur, ut *Exod. 14. v. 7. curruſ dicuntur electi* ;
Jerem. 22. v. 7. Cedri electa , *Genef. 23. v. 6. Sepulchra electa* . Ubi certè
 Electionis uocabulum improprie ſumi quis negabit ? nempe pro
 pretioſo & excellenti. Quando ergò dicunt aduerſarii uocabu-
 lum proprie hinc uſurpari, nihil aliud faciunt, quàm quòd princi-
 pium petant, & affirmant id, quod Scripturæ toti contrarium eſt,
 ut ex argumentis noſtris apparet,

MEMBRUM VI.

De Forma & Fine.

*Forma Præ-
 deſtinationis.*

203. Forma Prædeſtinationis eſt *τάξις* ſive ordo Electioni
 incluſus, quem DEUS in decreto Electionis faciendo ab æterno
 non tantùm ſibi propoſuit, ſed etiam ſecundum quem ex ſola ſua
 miſericordia fide meritum Chriſti amplectentes & in ea perfe-
 verantes elegit. Hunc ordinem dilucidè expoſuit Paulus Ro-
man. 8. v. 20. Quos præſciuit, hos & prædeſtinavit, quos prædeſtinavit, hos &
vocavit, quos vocavit, hos & juſtificavit, quos juſtificavit & hos glorificavit.

*Finis Præde-
 ſtinationis.*

Finis duplex.

CCIV. Finem Prædeſtinationis varium conſtituunt Orho-
 doxi Theologi, quidam duplicem, quidam triplicem, quidam
 quadruplicem, & quidam etiam quintuplicem faciunt. Nos illo-
 rum inſiſtimus veſtigiis, qui finem duplicem eſſe affirmant, alium
 & alium *ᾠ*. ſive alium ultimum, alium intermedium. De fine ul-
 timo priùs agemus: Is eſt gloria DEI, quæ manifeſta facta ac red-
 dita eſt tum tribus actionibus perſonarum illuſtribus, tum etiam
 attributis maximè perſpicuis. Prima actio eſt ſumma illa dile-
 ctio Patris, quâ DEUS miſerum ac perditum genus humanum ex
 mera dilectione in gratiam recipere voluit. Secunda Redemptio
 Filii, quâ Filius in omnibus obediens factus Patri iram Patris ſui
 paſſione & morte placare voluit, ut Pater non tantùm veller, ſed
 etiam poſſet ſalvâ ejus juſtitiâ homines in gratiam ſuſcipere.
 Tertia Vocatio Spiritus ſancti, quâ omnia illa beneficia à Chri-
 ſto nobis parata per miniſterium Verbi revelare non tantùm vo-
 luit, ſed etiam omnes mediis utentes illuminare, ut ea ſibi appli-
 cando

cando salutem in illis habeant. Ex his actionibus profluit ac promanat gratuitum decretum Electionis ab aeterno factum. Attributa sunt, Misericordia, quæ cognoscitur ex Electione credulorum, quæ DEUS omnes in Christum finaliter credituros ex mere gratuito favore ad vitæ hæreditatem elegit. 2. Justitia, quæ ex incredulorum reprobatione innotescit, quia DEUS impoenitentes & in peccatis usque ad finem vitæ perseverantes infernali igni adjudicavit. Gratias igitur agamus DEO misericordiam, ac ne nostris viribus in hoc negotio quicquam tribuamus, discamus: extimescamus ob justitiam, ne in eam prolabamur & seducamur.

CCVI. *Finis* ḡ, sive intermedius ratione nostri geminus constituitur, primus *ad hanc vitam*, videlicet ut sancti simus & irreprehensibiles, *Ephes. 1. v. 4.* Non enim elegit nos DEUS, ut in peccatorum sordibus hæreamus & iis immergamur, imò qui sic faciunt, & in iis persistunt, in Electorum numero non esse concluditur, sed ut gratitudinem DEO bonis operibus declaremus, & in vitæ novitate ambulemus. Secundus spectat ad *Electorum glorificationem & salutem*: Ideò enim nos elegit DEUS, ut cum ipso vivamus & æternâ beatitudine fruamur. Testatur hoc Paulus *Rom. 9. v. 23.* inquit: *Electos esse preparatos ad gloriam, & Act. 13. v. 48.* dicitur, *eos esse ordinatos ad vitam æternam.*

CCVII. Ut de usu etiam breviter aliquid dicamus, illum cum D. Cramero de Prædest. thes. 38. facimus triplicem. 1. *παιδοστροφικόν*, quo omnes cristæ deponuntur, humilitas docetur, omnisque occasio superbiendi & insolescendi præripitur. Electio enim cum merè gratuita sit, ex solaque DEI misericordia pendeat, quis se extollere, aut cristas erigere potest? Et Paulus expressè dicit *1. Cor. 4. v. 7.* *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 2. *ἡθροῦς ἰσχυρὸν*, vera enim fidei fiducia roboratur efficaxque consolatio ad nos redundat, ut apparet ex dictis *Matth. 25. v. 34.* *Tunc dicet DEVS Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod paratum est vobis à constitutione mundi.* Et *Rom. 8. v. 17.* *Si autem filij, & heredes, heredes quidem DEI, coheredes autem Christi: Et v. 34.* *Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui &*

usus prædestinationis triplex.

1.

2.

I

est ad

est ad dextram DEI, qui etiam interpellat pro nobis. 3. παρακλήσιν: Admonemur enim ad militandam bonam militiam, studiumque & exercitium bonorum operum alacriter urgendum, propterea comminationes adversus peccata acuuntur, quod omnis, qui impenitentiam suam testatur se extra numerum Electorum esse æterni iudicii adjudicationem habeat certissimam.

CAPUT IV.

De Attributis.

CCIIIX. De adjunctis Prædestinationis in hoc quarto & ultimo Capite acturi, tria tantum sumemus explicanda, dicturi 1. de immutabilitate, 2. de certitudine electionis, & 3. de perseverantia Electorum.

MEMBRUM I.

De Immutabilitate.

Electio dupliciter sumatur.

CCIX. Priusquam Electionis immutabilitatem Scripturam dictis astruamus, repetenda est ambiguitas vocabuli, Electionis, quam supra c. 1. attigimus, quod duplici in Scriptura sensu ponitur, 1. generaliter, & significat dilectionem rei, vel vocationem DEI in specie, quam certus populus vel personæ eliguntur, & veræ Ecclesiæ adjunguntur; ita sumitur 1. Thess. 1. v. 2. *Gratias agimus DEO semper de omnibus nobis scientes fratres dilecti à DEO Electionem vestram.* Hoc sensu si vocabulum Electionis sumatur, Electio non immutabilis, sed mutabilis statuenda est; siquidem illi, qui dilecti DEO sæpissimè in mortale peccatum prolabuntur, & sic fidem amittunt, ut ad salutem æternam provenire non valeant. 2. Specialiter notat decretum ab æterno factum de salvandis credentibus finaliter. Et hoc modo Electio omninò immutabilis est, quod nunc sic confirmamus:

1. Quicumque inscriptus est libro vitæ, is certò salvabitur:

Omnes

Omnis Electus inscriptus est libro vitæ. Ergo omnis electus certo salvabitur. Minor est extra controversiam. Major est Danielis *Electiorem*
c. 12. v. 1. In tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit esse confirmatus *immutabilem*
scriptus in libro. *esse confirmatus* *dictis Scri-*

CCXI. 2. Quod DEUS decrevit, illud certo fieri oportet. At- *ptura.*
qui DEUS decrevit Electos salvos facere. Ergo &c. Major est *1.*
certissima, cum omnia, quæ voluntate consequente seu decreto *Secundum*
ria vult DEUS, certo fiant, si non fierent, tunc aut nollet aut *argumentum*
non posset facere; prius dicere blasphemum, posterius, cum de- *ex Scriptura*
cretum DEI summus sit voluntatis gradus, falsissimum. *desumptum.*

Minor probatur ex Paulo *Ephes. 1. v. 5.* quando dicit DEUM
prædestinasse nos *κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ Θεοῦ πατρὸς, secundum*
dum propositum vel beneplacitum voluntatis suæ: *2. Tim. 1. v. 9.*
Vocavit nos vocatione sanctâ κατὰ ἰδίαν προῶπον, secundum proprium pro-
positum.

CCXII. 3. Quicumque finaliter labi & seduci non possunt, illi *Tertium ar-*
certo salvabuntur. Atqui Electi finaliter labi & seduci non *gumentum.*
possunt. Ergo certo salvabuntur.

Connexio propositionis patet: Qui enim in fide usque ad
finem vitæ persistit, is certo salvabitur. Minor est apud *Matth.*
c. 24. v. 24. & Marc. 13. v. 22. Surgent PseudoChristi & Pseudopropheta, &
dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si possibile
esset vel fieri posset, etiam Electi.

CCXIII. Rationibus id etiam patet. *1. Ab immutabilitate DEI. Immutabili-*
Quicumque immutabilis est, is decretum semel factum non mu- *tas electiois*
tat. Atqui DEUS immutabilis est. Ergo. Majoris connexio fir- *rationibus*
ma est: Triplex enim in DEO datur immutabilitas, *Essentiæ, at. confirmatur.*
tributorum & decretorum, & ut de essentia immutabilitas DEI *Primæ ratio.*
asseritur, ita & de decretis, ut *Rom. 9. v. 6. Fieri non potest, ut excide-*
rit sermo DEI. 2. Tim. 2. v. 19. Firmum stat fundamentum DEI habens
signaculum hoc, novit Dominus qui sunt sui. Jesai. 46. v. 10. Consilium
meum stabit.

CCXIV. 2. *A fundamento immoto.* Cujus fundamentum est im- *Secunda.*
motum, illud ipsum immotum & immutabile sit oportet. Atqui
fundamentum decreti de salvandis credentibus est immotum &
immutabile, nempe Christus. Ergo.

De Majoris consequentia non lab oramus, cum satis firma sit. Minor probatur ex dictis: *Super Christum enim fundatur eudonia Patris nos eligentis, Matth. 17. v. 5. & de cujus manibus nemo rapiet oves ejus.*

Tertia.

CCXV. 3. *A divina præscentia.* Si decretum de salvandis Electis mutabile esset, tunc DEUS suâ præscentiâ falleretur. Ratio, aut enim aliquid de credituris finaliter decrevit, aut nihil. Posterius affirmare absurdum est; pugnaret enim cum divina providentia. Igitur verum prius. Jam illud decretum aut de omnibus factum est, aut de quibusdam. Non de omnibus, quia non omnes in fide usque ad finem vitæ perseverant. Ergo de quibusdam. Minor, Atqui DEUS in præscentia falli non potest. *Scientia enim DEI est ipse DEVS; At DEUS est immutabilis. Ergo. Psal. 3. v. 6.*

Testimonia Patrum.

CCXVI. *August. l. 6. de Fide ad Pet. c. 35.* Firmissimè tene, & nulatenus dubites, omnes, quos ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum prædestinavit DEUS, perire non posse. *Et lib. 1. de Bono perserv. c. 13.* Sine pœnitentia sunt dona & vocatio DEI, ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certâ asseveratione dicendus, nisi cum de seculo hoc exierit.

Fulg. lib. 1. ad Mon. m. p. 27. Hæc omnia, id est, & vocationis nostræ initia & justificationis augmenta, & glorificationis præmia in prædestinatione DEUS semper habuit.

Objectiones.

CCXVII. Contra membrum hoc plurima objiciuntur. Nos præcipua tantum argumenta, quæ nostræ sententiæ opponi possunt, adducemus.

Prima ob-
jectio.

CCXVIII. 1. Initiò autem objiciuntur dicta, ex quibus universalitas Electionis extrui posse videtur, ut *Coloss. 3. v. 12. 1. Thess. 1. v. 4. 2. Petr. 1. v. 10.* Cum autem illorum solutio facilis sit, si ambiguitas vocabuli Electionis probè teneatur, & nos illam supra explicaverimus, in diluendis istis multum laborare supervacaneum esse arbitramur, præsertim etiam cum, ab aliis fusè sint explicata.

CCXIX. 2. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini, Rom. 8. v. 13.* *Secunda ob-
jectio.*
Ergo dicunt, ex Electo potest fieri reprobus.

Resp. Primò hic dici potest, conditionalem nihil ponere: nihil ergò ex hoc inferri potest. 2. Si probè hujus loci cohærentia inspiciatur, apparebit, de renatis & eorum lapsibus sermonem hic institui, non autem de Electis quâ sunt Electi. Dirigit enim sermonem suum ad Romanam Ecclesiam Apostolus, illamque admonet, ut vitam suam ita instituant, ne ex gratia collata excidant, & in æternum pereant. Et propterea Apostolus de his ipsis dubitat, quod de Electis facere absurdum est & impium, quando ait: *Vos in carne non estis, sed in Spiritu, si tamen Spiritus habitat in vobis.* Cùm ergò illud verum sit, malè à renatorum lapsu & finali reprobatione, ad lapsum & reprobationem Electorum argumentum necitur. Et concedamus licèt ex abundantia, loqui Apostolum de Electis, non tamen hinc illorum reprobatio concludi posset, sed sequitur tantùm: Electi si vivunt secundum carnem, moriuntur, quod fit, quando Spiritus sanctus peccatis mortalibus excutitur, & secundum carnem vivitur: post ad frugem & pœnitentiam emergunt: ad tempus igitur mori Electi possunt morte gratiæ, morte verò æternâ sive finaliter nunquam.

CCXX. 3. *1. Cor. 10. v. 12. Qui stat, videat ne cadat.* Resp. Dili- *Tertia obje-
ctio.*
genter hic distinguendum est inter mutabilitatem regenerationis & Electionis. De priori, non posteriori mutabilitate dictum loquitur.

MEMBRUM II.

De certitudine Prædestinationis.

CCXXI. Ex immutabilitate hæcenus demonstrata immediatè & necessariò sequitur Prædestinationis certitudo. Si enim immutabilis est, utique etiam certa.

CCXXII. Calviniani de hoc docent, quòd illi, qui semel re- *Sententia
Calviniano-
rum de certi-
tudine Ele-
& spem Electionis.*
nati & Spiritu sancto donati sunt, hoc donum nullis etiam atrocibus sceleribus admittis amittere possint, sed perpetuò sint & mancant DEI filii & templa Spiritus sancti, & retineant fidem



& spem æternæ beatitudinis, censentque Electionis certitudinem non tam ex immota promissionum veritate, quàm ex interno pietatis & veræ poenitentiae sensu dependere, ita ut qui vel semel tantùm verum aliquem pietatis motum in se perceperit, de Electione certus esse possit. Ita illorum certitudo absolute nititur decreto.

*Sententia
Pontificio-
rum.*

CCXXIII. Pontificii ut certitudinem gratiæ & remissionis peccatorum, ita certitudinem Prædestinationis planè negant, ac mentes humanas tricis dubitationum involvunt. Licet enim credentes finaliter & opera bona facientes prædestinatos dicant, subsumendum tamen esse negant, ideò etiam Concilium Tridentinum subsumentes anathemate ferit, *Sess. 6. Trid.* Nemo quàm diu in hac mortalitate vivit, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet, ut certò statuat, se omninò esse in numero prædestinatorum. Et *Bellarmin. l. 3. de iust. c. 12.* Error eorum erat, inquit, qui non solùm de præsentis & gratiæ æternæque justitiæ, sed & prædestinatione & electione ad gloriam, certitudinem fidei habere contendunt. Sed hæc duæ opiniones falsæ sunt, & cum Scriptura è diametro pugnant.

*Calviniano-
rum sententia
desperabunda
est.*

CCXXIV. Primò Calvinianorum quod attinet sententiam, illa vel ad securitatem vel desperationem hominem adigit. Si enim quis audit DEUM ex solo beneplacito & absoluta voluntate quosdam ex humano genere ad vitam æternam elegisse, reliquos verò absque nulla consideratione credulitatis & incredulitatis damnasse, quomodo is firmiter concludere potest de æternæ salutis certitudine? Neque est ut ipsum remittas ad voluntatem DEI revelatam, cum eam Calviniani tantùm signi esse fateantur, & dubitandum affirmant de arcana ejus voluntate. Non ad Christi meritum respiciendum, cum id particulare, & pro quibusdam tantùm factum affirmant. Neque ad promissiones universales recurrere possunt, quoniam ad genera singulorum, non singulos generum eæ restringunt. Nihil proinde nihil nisi dubitationem & desperationem suo dogmate introducunt.

*Sententia
Pontificiorum
non multum*

CCXXV. Ab hac opinione non multum sententia abest Pontificiorum, qui, licet absolutum decretum negent, tamen dubitandum de salutis certitudine judicant, contra quos cum potius insti-

instituta sit quaestio, nos nostram sententiam, quae est, quod homo de sua salute & Electione adeo certus & firmus esse possit, ut de ea dubitare non debeat, demonstraturi sumus dictis Scripturae, rationibus & testimoniis Patrum, postea praecipuas objectiones ipsorum diluemus.

Sententia orthodoxa.

Dicta Scripturae.

CCXXVI. I. In quibuscumque est tranquillitas & pax mentis, quibus conceditur talis ad gratiam accessus, ut in illa stent & gloriantur ob spem gloriae, illi de gratia, remissione peccatorum, & salute certissimi sunt.

Primum fundamentum pro certitudine Electionis.

Omnes justii, & credentes pacem & tranquillitatem habent. Ergo &c.

Major firma est, quia pax & anxietas, accessus & dubitatio sive incertitudo sibi mutuò opponuntur, ita ut ubi unum est, alterum esse non possit. Minor est Pauli Rom. 5. v. 1. Justificati ex fide pacem habemus ad DEUM nostrum Jesum Christum, per quem habemus accessum fide in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe filiorum DEI, & idem dicit Ephes. 3. vers. 12. In Christo habemus τὴν παρρησίαν καὶ τὴν προσεγγίαν ἐν πίστει ἡμεῶν Δεῖ πῆξως αὐτοῦ, fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus. Jam ubi est παρρησία καὶ προσεγγίσις, ibi omnis abest incertitudo & anxietas.

CCXXVII. Neque est, ut hic excipiant, fidem generaliter quidem statuere posse promissiones gratiae & praedestinationis esse certas, applicationem verò incertam, cum nemo sciat, propter indignitatem propriam an sit justus coram DEO.

Exceptio.

Sed an non sic tota vis & natura fidei justificantis, quae praeditus sit oportet Praedestinator, tollitur & planè evertitur? Eadem enim non est generalis idea, sed specialis fiducia, quae quis sibi promissiones specialiter applicat & attribuit; alias etiam fides Diabolorum cum justificante nostrâ fide conveniret, qui ipsi promissionum veritatem maximè credunt, sed applicare in specie non possunt.

Resp. ad exceptionem.

Deinde sub generali propositione non dubia, sed certa fit subsumptio. Si enim omnes justii habent pacem cum DEO, utique

Secundâ Responsio.



Secundam
fundamen-
tum pro cer-
titudine Ele-
ctionis.

Exceptio.

Resp. ad Ex-
ceptionem.

1.

2.

3.

utique etiam de me concludere id ipsum possum, quod pacem ha-
beam apud DEUM propter meritum Christi fide apprehensum.

CCXXIX. 2. *Quicumq;* sciunt se habere vitam aeternam, ii de præ-
destinatione suâ certi esse possunt & debent: Nemo enim vitam
habeat aeternam non prædestinatus.

Fideles, qui credunt in nomen Filii DEI, sciunt se habere
vitam aeternam. Ergo de prædestinatione sua certi esse possunt.
Minor est Johan. 1. Epist. c. 5. v. 13. *Hæc scribo vobis, ut credatis, quia ha-
bent vitam aeternam, qui credunt in nomen Filij DEI.*

CCXXIX. Excipit Bellarm. l. 3. de Just. c. 12. p. 1150. l. B. ubi Majo-
rem distinguit: Qui credunt & habent vitam aeternam in spe, sed
non in re. Spe enim salvi facti sumus. Ut verò in re habeatur
vita aeterna, requiritur præter alia multa perseverantia in
fide, teste Apostolo Rom. 5. v. 25. *Sumus domus DEI, si tamen initium
substantiæ usq; ad finem firmum teneamus.* Et idem ipse Johannes, qui
dixit credentes habere vitam aeternam, scripsit aliquibus creden-
tibus, Ephes. 2. v. 8. *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis. Qua-
re laborandum putat, si probare quis velit, ut inveniatur Scripturæ
testimonium, in quo habeatur, se in particulari usque in finem
perseveraturum.*

CCXXX. Resp. Sed distinctio ad majorem data planè eam
non destruit. Omnes enim illi, qui sciunt se vitam aeternam ha-
bere in spe, sciunt se etiam habituros in re: *Spes enim non confun-
dit, Rom 5. v. 5.* Quare omninò stat adhuc nostra sententia, quod
de prædestinatione sua certi esse possunt. *Secundò* quod de per-
severantia dicitur, verum est, & illa necessariò requiritur, de hac
tamen fideles certi esse possunt ex promissionibus. Imò si sciunt
se habere vitam aeternam, multò magis sciunt, se à DEO acce-
pturos perseverantiam, utpotè sine quâ vitam aeternam nemo ne-
que in spe neque in re habet. *Deniq;* absurdus est Bellarm. quod
requirit, ut in particulari extet promissio, hic vel ille perseverabit:
An Bellarm. propterea non credit se creaturam esse, se resurrectu-
rum ex mortuis, quia non dicitur in Scriptura, Bellarminus est
creatura, Bellarminus resurget à mortuis? Non puto. Sufficiant
promissiones universales, sub quibus unusquisque de se subsu-
mere potest, & in quibus particulares includuntur.

CCXXXI. 3. Quos Deus elegit ad salutem, in sanctificatione Spiritus Tertium
& fide veritatis, ac vocavit per ministerium Evang. ad obtinendam glori- fundamen-
am Domini nostri Iesu Christi, ij de Electione sive Prædestinatione certi esse tum pro cer-
possunt ac debent. titudine sa-
lutis.

Atqui prædestinatos ad salutem Deus elegit in sancti-
ficatione Spiritus & fide veritatis, ac vocavit per ministerium
Evangelij ad obtinendam gloriam Domini nostri Jesu Chri-
sti. E. prædestinati de prædestinatione certi esse possunt &
dehent.

Minor est Pauli 2. Theff. 2. v. 13. Nos autem debemus gratias
agere Deo semper de nobis, fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos De-
us ab initio ad salutem in sanctificatione Spiritus & fide veritatis : ad
quod vocavit nos per Evangelium nostrum ad obtinendam
gloriam Domini nostri Jesu Christi.

Inde majoris consequentia patet, quia ex vocatione,
fide & sanctificatione Thessalonicensium pronunciavit Apo-
stolus de Electione Thessalonicensium. Ex quo autem co-
gnovit Apostolus Thessal. electionem, ex eo certi esse possunt
& debent de Electione.

RATIONES.

CCXXXII. 1. à promissionum divinarum veritate & immota
firmitate. Quicumque debent credere promissionibus divinis
illi debent esse certi de bonis promissis, certitudine nimirum,
fidei & prædestinationis, quæ ex illa sequitur.

Sed omnes credentes debent esse certi de promissioni-
bus divinis. Ergo omnes debent esse certi de bonis promil-
lis, certitudine Fidei & Prædestinationis, quæ ex hac sequitur.

Minor vera est, 1 à Dei ipsius veritate: Ille enim nunquam;
sefellit, neque fallere potest, quia est verax, Rom. 3. v. 4. ejusq;
fides per incredulitatem hominum non evacuatur, v. 3. 2. à
divinarum promissionum proprietate: Non sunt dubiæ, ambiguae
& fallaces, sed immotæ, apertæ & veraces, ut omnis, qui in ijs
diffidentiam habet, ad desperationem proximus sit.

CCXXXIII 2. à Spiritus S. in cordibus pïorum testificatione.
Quicquid Spiritus S, obsignat & in cordibus fidelium confir-
mat,

Certitudo
salutis rati-
onibus con-
firmatur.
Prima Ra-
tio.

K



mat suo testimonio, illud est certissimum. Atqui Spiritus Sanctus remissionem peccatorum & salutem obsignat, & in cordibus fidelium confirmat suo testimonio. E.

Major per se vera est, cum Spiritus S. qui ipse est veritas, testimonium certissimum sit & infallibile. Minor ex dictis probari potest, Rom. 8. v. 12. 1. Cor. 2. v. 12. 1. Ioh. 5. v. 10.

Porro si remissionem peccatorum & salutem obsignat, utique etiam Prædestinationis certitudinem, utpotè ex quibus illa concluditur.

Tertiatio. 3. Tandem ratio peti potest ab exemplis illorum, qui certi fuerunt ut de sua iustitia, ita etiam prædestinatione. 1. Exemplum Abrahami Roman. 4. v. 1. 2. Exemplum Jobi, qui certus fuit de gloriosa resurrectione sua cap. 19. v. 25. Si de illa, Ergo etiam de Prædestinatione. 3. Exemplum Pauli Rom. 8. v. 33.

Hæc & similia exempla à Spiritu S. in divinis oraculis annotata sunt, ut in exemplū trahamus, ac similiter firma, certa & immota fide Deo adhareamus, quo tandem cum ipso in gloria versari possimus.

Bernbard. de Fragmentis septempanum: Tria considero, in quibus tota spes mea consistit: Caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Hæc tria sic roborant & confirmant corpus meum, ut nulla me penuria meritum, nulla consideratio propriæ utilitatis, nulla æstimatio cœlestis beatitudinis ab altitudine spei dejicere possit.

Idem serm. 61. in Cant. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur. Non cado: Fundatus enim sum super petram firmam: peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbatur, quoniam vulnerum Christi recordabor.

Objectiones.

**Prima ob-
jectio.**

CCXXXV. Bellarm. l. 3. de Iust. c. 12. col. 1146. lit. B. quatuor argumenta ex Scriptura profert, quibus incertitudinem prædestinationis probare annitritur, quæ refutabimus & dissolvemus.

1. Primum sumit ex Ep. ad Rom. c. 11. v. 3. ubi Apostolus de Prædestinatione disputans refert hoc mysterium inter altissima Dei

ma Dei decreta, quādo exclamat, ō altitudo! &c. Syllogismus
erit is: Inscrutabilia Dei iudicia sciri non possunt: Prædesti-
natio est iudicium Dei inscrutabile teste Paulo. E. à nemi-
ne cognosci potest, quis sit ex numero prædestinatorum.

Resp. Plus infertur quàm fuit in præmissis. Hoc enim
tantùm sequitur: Ergo Prædestinatio à nemine absolutè co-
gnosci potest; quod verum est sano sensu: Inscrutabilis enim
illa est à priori, non autem inscrutabilis est à posteriori ex
verbo & revelatione Spiritus S.

*Solutio pri-
ma.*

CCXXXVI. Deinde illā doctrinā inscrutabilem quoad specia-
les casus, quorum omnium ratio reddi non potest, affirma-
mus, respectu tamen causarum inscrutabilem eam negamus,
ut ex hæctenus dictis satis patet. Non ergo vult Apostolus,
quòd de Prædestinatione fidelium propria vel aliena nihil ex
revelatione verbi cognosci possit, aliàs sibi ipsi contrariare-
tur, utpotè qui suo exemplo omnes fide iustificatos, ad certam
prædestinationis & perseverantiæ fiduciam excitat, Rom. 8. v.
30. 33. & 38. Temerè etiam de sua & Ephesiorum Electione
pronunciaret: Elegit nos Deus ante jacta fundamenta mun-
di, Eph. 1. v. 3. & 1. Thess. 1. v. 4. Scim⁹ vos esse à Deo electos. In argu-
mento igitur committitur fallacia à dicto, secundum quid ad
dictum simpliciter. Major loquitur & vera est de iudiciis
inscrutabilibus simpliciter, & à Spiritu S. non revelatis: De
his verò assumptio falsa est, ut ostensum.

Secunda.

CCXXXVII. Multa profert dicta, quibus omnes fideles
admonentur ad timorem, Rom. 11. v. 20. 1. Cor. 10. v. 12. Apoc. 3. v. 11. 2.
Ep. Iohan. v. 8. Psal. 2.

*Secunda ob-
jectio.*

Resp. Dicta hæc Bellarmini nostram sententiam de
certitudine Prædestinationis non lædunt. Distinguere enim
debebat inter timorem *servilem & filialem*; De *filiali* timore di-
cta allegata intelligi debent, quippe qui est metus Dei, studiū
vitandi lapsus & carnalem securitatem, cum humilitate, amo-
re atq; invocatione conjunctus; qui etiam in scripturis man-
datur & commendatur, Prov 1. v. 7. Initium sapientiæ timor
Domini, Psal. 128. v. 1. Beatus vir, qui timet Dominum. Con-
trā *servilis*, qui est trepidatio ex conscientia peccati,

Solutio.



& metu iudicii divini conjuncta cum fuga & odio Dvi, in filios Dei non cadit. In Scriptura enim non tantum non precipitur, sed interdicitur, & à filiis Dei removeretur, Rom. 8. v. 16. Non accepistis Spiritum servitutis ad timorem Ierem. 23. v. 4. Dabo eis pastores qui pascunt eos, & non timebunt, Luc. 12. v. 32. Noli timere pusille

Tertia obje-
ctio.

CCXXXIX. 3. Scriptura disertis verbis docet salutem pendere à conditione operum, Matth. 5. v. 20. Matth. 9. v. 17. 2. Tim. 2. v. 11. & 5. Jam concedunt, inquit, adversarii, nullam esse posse certitudinem salutis, si ea pendeat à conditione operum, unde igitur tam confidenter affirmant, se de salute & vita æterna esse certissimos? Argumentum erit tale: Quodcumq; pendet ab incerta conditione operum, de eo certitudo affirmari non potest. Prædestinatio & salus pendet ab incerta conditione operum. Ergo de ea certitudo affirmari non potest.

Solutio,

CCXXXIX. Resp. Initio notanda est adversarii contradictio, qui expressè scribit *l. 2. de Gratia & lib. Arb. cap. 10. col. 606.* Electos esse nos ex mera gratia & misericordia Dei, imò absq; ulla operum prævisione. Negamus igitur cum adversario minorem propositionem, eamq; falsissimam pronunciamus, cum supra demonstratum Scripturæ dictis, Prædestinationem non pendere à conditione operum, sed factam esse ex mera misericordia Dei & gratuita Evangelii promissione fide apprehensa. Dicta, quæ adducuntur pro confirmatione minoris, propriè spectant ad locum de Justificatione, ideoque nos eorum *λύσις* hîc omittimus.

Quarta ob-
jectio.

CCXL. 4. Quartum argumentum ita potest formari: Certitudo prædestinationis sine certitudine perseverantiæ haberi non potest, quia perseverantiæ est effectus maximè Prædestinationis, & sine perseverantiæ non potest impleri Prædestinatio. At multi credentes non possunt habere certitudinem perseverantiæ. Ergo multi non possunt habere certitudinem Prædestinationis.

Assumptionem confirmat, quia illi qui à gratia recedunt, nullam habent certitudinem suæ restitutionis in gratiam, *Joel.*

2. v. 14.

2. p. 14. Quis scit si fortè convertatur & ignoscat Deus. Testatur enim Scriptura multos credere ad tempus, postea à vera fide recedere, & naufragium facere, Luc. 8. 1. Tim. 6. Isti igitur credentes nequeunt esse certi, se perseveraturos, alioquin falsa fuisset eorum fides.

Solutio.

CCXLI. Resp. Minor Bellarmini falsa est, & cum tota sacra Scriptura pugnat, ut supra ostensum. Probationem quod attinet & illa falsitate laborat, quòd nimirum illi qui à gratia & fide deficiunt, restitui in gratiam non possint; dicta & exempla Scripturæ diversum loquuntur. Dictum Joëlis quod attinet, verba in Hebræo sic habent: Quis scit, si convertatur & poeniteat eum? Sermo autem hic instituitur non de remissione peccatorum & incertitudine restitutionis in gratiam, sed de immissione poenarum temporalium. In præcedentibus Propheta prædixit varia poenarum genera, ob commissa peccata, & de his dicit, forsitan futurum, ut actâ poenitentia & poenâ æternâ dimissâ, temporalis etiam dimittatur. Nos autem illud ultrò fatemur, nos incertos esse, an Deus semper temporalem poenam avertat, quia si latè sumatur, pios etiam justificatos attinet. Nihil igitur hoc dictum contra certitudinem prædestinationis facit.

MEMBRUM III.

De perseverantia.

CCXLII. Non hic de perseverantia finali instituitur questio: Illa enim in Electis necessariò requiritur, & nisi finaliter in fide perseverarent, Electi non essent; sed de perseverantia queritur temporali Electorum, sive de Spiritus S. excussione, num illi, qui electi sunt, gratiâ Dei totaliter in hac vita excidere queant?

An Electi possint amittere Spiritum S.

CCXLIII. Ad hanc quæstionem Calviniani negatè respondent, dicentes: fidem ac Spiritum Electos excutere non posse, licet variis flagitiis se immergant. Bucanus enim l. 29. quest. 27.

Sententia Calvinianorum.

quest. 27, scribit: Fides potest veluti deliquum pati, ut non
nunquam variarum tentationum procellis concutatur, ob-
scuretur, obruatur & languida fiat: Imò etiam in sanctis haud
aliter quàm in Electis & infantibus ratio lopiatur & sepelia-
tur: Sicut in Davide cum admisit adulterium, & in Petro,
cum ter negavit Christum: Sed tamen nunquam penitus ex-
cutitur. Et sic reliqui Calviniani omnes; Propterea etiam
distinguere solent inter actum & habitum fidei. Actum amit-
ti posse dicunt, habitum non item.

Sed hanc Calvinianorum assertionem falsam esse, E-
lectosque Spiritus S. gratiam inhabitantis totaliter excutere
posse per mortalia peccata, dictis Scripturæ, Rationibus & Te-
stimoniis Patrum evincimus.

Dicta Scriptura.

*Primum
fundamen-
tum pro or-
thodoxa sen-
tentia.*

CCXLIV. 1. Ezech. 18. v. 26. Cum averterit se justus à
justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: In injusti-
tia quam operatus est morietur. Et cap. 33. v. 12. idem repetitur
ex quo sic inferimus: Si justus se à justitia ita avertere potest,
ut moriatur, sequitur illum etiam gratiam Spiritus S. inhabi-
tantis totaliter perdere. Atqui verum prius. Ergo & po-
sterius.

Majoris connexio firma est: Mors enim spiritualis in
Scriptura est nihil aliud, quàm excussio Spiritus S. & gratiæ
perditio.

Exceptio.

CCXLV. Excipiunt, loqui Prophetam non de verè justis.
Sed vana & frivola hæc est exceptio. In textu enim injustis
opponuntur actiones justitiæ, v. 6. 7. 8. Quomodo ergo de verè
justis non loqueretur Propheta? Aut competeret illa hypo-
critis? 2. Dominum loqui sub conditione, quæ nihil ponat.
Resp. Conceditur: Illa tamen conditio impossibilis non est,
quod exempla illorum, qui à fide defecerunt, ostendunt, nem-
pè Davidis, Lothi, Petri & aliorum. 2. Nunquam nos dicimus
absolutè justum à fide deficere, & Spiritum S. excutere, sed
conditionaliter, si mortalia peccata committat.

Solutio.

*Secundum
fundamen-
tum.*

CCXLVI. 2. Luc. 8. v. 13. Quidam cum gaudio suscipiunt
verbum,

verbum, & hi radices non habent, sed ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt. Ex hoc loco sic argumētor.

Quicumque suscipiunt verbum Dei cum gaudio, & non perseverant in fide, ij possunt fidem amittere. Atqui credentes sive Electi quidam verbum suscipiunt cum gaudio, & nō perseverant in fide, teste Domino. E. possunt fidem amittere. Neque est, ut quis dicat, de ficta fide sermonem esse, vel historicam fidem, non salvificam intelligi: Quicumque enim verbum suscipiunt cum gaudio, illi pręditi sunt fide salvificā.

CCXLVII. 3. *Matth. 24. v. 12 & 13.* Et quoniam abundantius iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseveravit usque ad finem, salvus erit. Per refrigescere extinctio charitatis intelligitur, alioquin non opponeretur perseverantia usque ad finem.

Tertium fundamentum.

RATIONES.

CCXLIX. 1. *Ab adhortationibus:* Si renati non possent excidere gratia Dei & Spiritum S. amittere frustraneæ & inanes essent adhortationes, quæ à Christo & Apostolis instituntur ad renatos, ut Joh. 5. vers. 14. dicitur: Ne pecces amplius, ne quid deterius tibi accidat, 1. Cor. 10. v. 12. Qui stat videat ne cadat, Apoc. 3. v. 11. Tene quod habes, ne quis accipiat coronā tuā. Atqui adhortationes illæ frustraneæ & inanes nō sunt. E. &c.

Ratio prima.

CCXLIX. 2. *A pœnitentia.* Quicumq; opus habēt, ut redeant ad pœnitentiam; ij non sunt in gratia, nec Spiritum S. habent: Ratio est in promptu, siquidem pœnitentiā nova est reditus ad Deū & in gratiam receptio: qui autem in gratiam recipitur, is illam habuisse oportuit. Renati mortalia peccata committentes opus habent novā pœnitentiā. E. non sunt in Dei gratia, nec Spiritum S. habent.

Secunda Ratio.

CCL 3. *Ab exemplis.* Si tum in V. tum in N. T. dantur exempla eorum, qui renati fuerunt, & tamen mortaliter peccantes, gratiam & Spiritum S. amiserunt, sequitur renatum posse gratiā Dei excidere. Sed prius est verum. E.

Tertia Ratio.

Minor confirmatur 1. ab exemplis V. T. 1. *Davidis*, qui homicidium & adulterium commisit. Jam autem certum est ex Scriptura, illum qui talia committit peccata, & in ijs persistit in regno Dei non futurum, ut *Ephes. 5. v. 5.* Et de homicida dicit Johannes *Ep. 1. cap. 3. v. 5.* quod non habeat vitam æternam in se



in semanentem. 2. *Salomonis*, quem Deus singulari amore prosequabatur, *1. Reg. 3. v. 3. & 8.* cum verò idololatrius factus esset, horribiliter peccavit, & Spiritum S. excussit, *1. Reg. 11. v. 1. & 5.*
3. *Ninevitarum*: Illi licet vera pœnitentiâ ad Deum sese converterint, ut Jonas testatur *cap. 3. v. 10.* nihilominus vicissim in peccata gravissima prolapsi sunt, ut *cap. 1. Nahum* ostendit.

2. *Ab exemplis N. T.* 1. *Petri* qui licet renatus & sic in gratia Dei fuerit, uti *Matth. cap. 16. v. 7.* habetur, tamen cum Christum abnegaret & quasi abjuraret, à Christo defecit & Spiritum S. excussit, propterea etiam novâ conversione opus fuit, ut *Luc. 22. v. 32.* dicitur. 2. *Simonis* qui veram habuit fidem & *Philipo* adhæsit, ut ex *Actor. cap. 8. v. 13.* postea v. à fide illa defecit, & gravissimè lapsus est. 3. *Galatarum*, qui teste Paulo benè clarebant, postea verò defecerunt & gratiam Dei amiserunt, cum per legem justificari vellent.

Testimonia Patrum.

CCLI. Hieron. *adversus Iovinianum l. 2.* scribit, unum ex erroribus Ioviniani fuisse: Justos post Baptismum non posse damnari, & si fortè possent, eos quidem fuisse lotos aquâ Spiritum verò gratiæ minimè recepisse.

Aug. lib. de Corr. & gratia cap. 3. Credendum est, quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverandi usque ad finem in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter & justè vivere, & postea cadere.

Objectiones.

Obiectio prima.

CCLII. 1. Ex *Psal. 121.* Justitia justus manet in seculum seculi, v. 6. in æternum non commovebitur; in memoria æterna erit justus.

Solutio.

Resp. Hæc pro Calvinianorum sententia nihil faciunt, siquidem reduplicativè intelligi illa debent. Justitia id est, opera justia manent in seculum seculi, quoad memoriam Domini; sic justus quâ justus in æterna erit memoria & non commovebitur, quia nihil timebit, & eum commovebit nihil, vel

nihil, vel separabit à DEO, ut Paulus dicit, Rom. 8. vers. 35.

CCLIII. 2. *Matth. 24. v. 24.* Impossibile est electos seduci, *Secunda ob-*
Johan. 10. v. 28. oves meas nemo rapiet è manibus. *jectio.*

Resp. Inconvenienter illa dicta adducuntur, cum lo- *Solutio.*
 quantur de totali sive finali impietate: nos enim ultrò con-
 cedimus nec Electos finaliter labi, nec ex manibus CHRIS-
 TI eripi posse, an autem propterea mortaliter peccare, & sic
 gratiam DEI & Spiritum Sanctum amittere non possunt
 in tempore? Contrarium exemplo Davidis, Petri & aliorum
 jam satis probatum vidimus.

3. *Rom. 11. v. 29.* Dona Dei sunt ἀμετέμηλητα. E. semel con- *Tertia.*
 cessa non aufert Deus.

Resp. Adeò commento Calvinianorum hoc dictum *Solutio.*
 non favet, ut contrarium potius inde probetur. Docet enim
 hic Apostolus, quia si Judæi propter impietatem & incredu-
 litatem, promissionis non redduntur participes, non istud
 Deo sit ascribendum, siquidem Deum suorum donorum non
 poeniteat, & propterea Deus ex absoluto beneplacito nemini
 dona semel concessa detrahit, sed homines ipsi per peccata
 mortalia donis illis se privant.

CCLIV. 4. *Johan. 14. v. 16.* Ego rogabo Patrem, & alium *Quarta.*
 paraclatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.

Resp. Hæc verba ad discipulos CHRISTI dicun- *Solutio.*
 tur, quos etiam solos attinent: Illis enim præ cæteris Spiritus
 Sanctus modo singulari semper fuit præsentissimus, & id pri-
 vilegium ab ipso Deo promissum & datum est. Et licet ex
 abundantia largiamur, etiam attingere hoc ipsum si teles, ta-
 men Calviniani nihil præsidij inde habent. Dicit enim
 CHRISTUS Spiritum Sanctum cum ijs semper mansu-
 rum, id est, qui sunt veri discipuli ejus, & qui eum agnoscunt,
 quatenus sunt discipuli, & quamdiu in illa cognitione per-
 manent.

CCLV. 5. Si Spiritus Sanctus est arrhabo hæreditatis, *Quinta.*
 L per eum

per eum in diem redemptionis obsignati sumus. Sed prius est verum, ex Eph. 1. v. 14. & 4. v. 31. Ergo &c.

Resp. Hoc argumentum à scopo quæstionis quam longissimè aberrat, & nihil aliud faciunt adversarij, quam ut statum quæstionis mutant: à Scripturâ enim certa illa Spiritus S. obsignatio illis tantum adjudicatur, qui veram habent fidem & Spiritu Dei ducuntur. Absurdè ergo ad illos transfertur, qui flagitijs se commaculant. Et quid multis? Si Paulus in ea fuisset sententia, obsignatos Spiritus S. obsignatione excidere non posse, cur scripsisset ad illos, ne se paterentur in manifesta flagitia abduci, propter quæ hæreditate regni Dei exciderent, Eph 5. v. 34.

Sexta.

CCLVI. 6. Si renati penitus excidere possent gratiâ Dei, fidem & Spiritum S. amittere in nostra esset potestate.

Solutio.

Resp. Omnino in nostra est potestate fidem & Spiritum S. perdere, quod Judæorum exemplum docet, Act. 13. qui Spiritui S. restiterunt, & prophanorum illorum hominum, qui sanguinem CHRISTI pedibus suis conculcaverunt, Hebr. 6. & 10. Amittere igitur fidem & Spiritum Sanctum, possumus, retinere non possumus.

Septima.

CCLVII. 7. 1. Iohan. 3. Omnis qui natus est ex Deo peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, eò quod ex Deo natus est. Si non potest peccare, multò minus gratia Dei excidere.

Solutio.

Resp. Non esse mentem Johannis renatos à peccatis immunes statuere, ut nihil agant, dicant & faciant, quod legi divinæ contrarium sit, c. 1. ejusdem Ep. ostendit his verbis: Si dixerimus peccatum non habemus, fallimus nos ipsos, & veritas in nobis non est. Imò in hoc ipso capite verbis subsequentibus ait: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis, quòd omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Posse autem renatum fieri homicidam, exemplum Davidis satis superque demonstrat. Quibus sic stantibus relinquatur, sensum & mentem verborum, Johannis non

nis non esse aliam, quàm quòd Regeneratio & mortalia peccata, ut opposita, simul stare nequeant, sed se mutuò destruant & evertant, ita ut qui renatus est, quamdiu renatus est, non committat peccata mortalia, adeoque nec possit, nisi renatus amplius esse nolit.

CCLIX. Pedem nunc figimus & vela contrahimus, ne theses supra modum excrescant, Deoque Patri summo pro summa dilectione, quâ nos dilexit, cum inimici eramus, Deo Filio, qui nos è faucibus Diaboli, morte & sanguine redemit, Deoque Spiritui S. qui ad hæc beneficia per verbum quotidie nos vocat & regenerat, gratias agimus grato corde maximas: Toti Sacrosanctæ Trinitati sit laus, benedictio & honor in secula seculorum, Amen.

FINIS.



Umg. VI 23

= [Dissertationes
theol. Vol. 59]


ULB Halle 3
002 386 852




sb. 26

Folio
VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

THEOLOGICA,

ESTINA-
ETERNA,

M. A.

esidio

MEISNERI,

in Almà Wittebergen-
oris, Fautoris & Præ-
honorandi,

gratiã proponit

STISSER,

lesiarum ad S. Nicola-
am Canonicus.

re d. 24. Aprilib.

BERGÆ,

Gorman, Anno 1618.

77
42

